






STANFORD U
LIBRA

OLOGICA

S,

R,

R,

XII.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

INDOLE SACRORUM EMENDATIONIS, A *ZUINGLIO* INSTITUTAE, RITE DIIUDICANDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

ANTONII VAN GOUDOEVER,

LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLENNI EXAMINI SUBMITTTIT

JACOBUS TICHLER,

CAMPENSIS,

D. XXVIII SEPTEMBRIS MDCCCXXVII, HORA XII.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD P. QUINT,

MDCCCXXVII.

VIRO DOCTISSIMO, CONSULTISSIMO,

PATRI CARISSIMO,

JACOBO TICHLER,

J. U. D.

NEC NON

VIRO PLURIMUM VENERANDO,

GULIELMO VAN VLOTEN,

DOCTRINAE CHRIST. INTERPRETI

CAMPENSI,

CAETERISQUE PRAECEPTORIBUS

ET

STUDIORUM SUORUM FAUTORIBUS,

HASCE QUALESCUNQUE PRIMITIAS,

IN PUBLICUM PIETATIS ET REVERENTIAE

MONUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ab eo inde tempore, quo Historiae studio indulgere coepi, delectari inprimis solebam legendis illustrium virorum Graecorum Latinorumque factis. Cum igitur deinceps ad Theologiae studia transirem, animum continuo appuli ad Historiam Ecclesiasticam, atque perpendere mihi placuit, quae instituerant egerantque olim in rei Christianae commodum Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, *alii. Ex hisce autem viris diu me tenuit* Zuinglii *inprimis nomen, illiusque ingenii animique facultates admirari coepi. Quo factum, ut aliquando auctorem legens, qui valde in illum inveheretur, vix dici potest, quantopere indignarer. Quapropter si forte Deus opportunitatem mihi et facultatem praestaret, hanc rem ipsis e fontibus indagandi, id aggredi ac perficere mecum constitui.*

Iam cum in eo essem, ut Academicis studiis prope valedicerem, Praeceptores vero carissimi me insigni, qua conspicui sunt, humanitate monerent, ut studiorum meorum publicam ante redderem rationem, quam

sa-

sacrum munus obire instituerem, mox in Zuinglii *iterum incidi memoriam. Quocirca Praeceptores adii, ab iisque, ut consilium darent, petii. Horum vero admonitione inductus, hactenus animum mutavi, ut quaedam scribendi periculum facerem de indole Sacrorum Emendationis, a* Zuinglio *institutae, rite diiudicanda. Optime autem hocce consilium, convenire videbatur muneri illi, cuius ego studio maxime flagro. Versatur enim in Religionis Christianae placitis rite explicandis pureque tradendis, atque in moribus Christianorum emendandis, in quibus omnibus* Zuinglius *suo praeivit exemplo, quod ut verbi divini Interpretes et Antistites etiamnunc imitentur, quam maxime est optandum.*

Hocce igitur consilio capto, continuo, quos potui, fontes collegi, eosque sedulo pervolvi, et quae ad indolem Reformationis, a Zuinglio *institutae, diiudicandam conducere videbantur, scriptis mandavi, ut tandem, quaenam ipsa illa sit indoles, constaret. In hisce autem conscribendis, cum librorum suppellectili, tum consiliis et officiis humanissime me adiuvarunt Viri eruditissimi* Heringa, J. Scheltema, van Heusde, *inprimis vero Cl.* Royaards, *qui, mihi ab Ordine Theologico Promotor datus, benevolum viae ducem se mihi praebuit. Quibus viris publice persolvo gratias, iisque quam maxime me devinctum profiteor.*

Edi-

Edidi autem (ut Ciceronis verbis utar), quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. Et revera breve mihi concessum fuit temporis spatium pro rei, quam institui, gravitate et dignitate. Illud quoque benevolus Lector reputet velim, a iuvene poscere, quae subactum tantum viri ingenium praestare possit, longe esse iniquissimum.

Vobis vero, Viri clarissimi! quorum institutione mihi in alma hac Musarum sede uti licuit; vobis inprimis Cl. Heringa, Pareau, Bouman, *et* Royaards, *quorum non solum institutione, sed benevolentia atque amicitia me fructum esse summae laudi et honori duco, vobis omnibus ago gratias, quas possum, maximas, salutemque vestram a Deo Optimo Maximo ex animo apprecor.*



Multi, qui aliquando legent, quae primi illi Euangelii restauratores, Ecclesiastici et Politici viri, pericula Euangelii causa adiverint, quos labores susceperint, quas afflictiones pertulerint, exitabuntur, ut iisdem vestigiis insistant.

L. Lavater.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE INDOLE

SACRORUM EMENDATIONIS,

A *ZUINGLIO* INSTITUTAE,

RITE DIJUDICANDA.

PROLEGOMENA.

Quod sibi propofuerat Deus, confilium morale in inftituendo genere humano, inprimis Religionis Christianae ope, irritum fere reddidisfe videbantur gentes Europaeae medio, quod dicitur, aevo. Alta nocte premebatur Europa. Gentes Germanicae, Romanis fuccedentes, etiamnunc aetate fua inculta et barbara vivebant, et Religionis Christianae non nifi formam referre videbantur. Neque tamen gentium Europae feptentrionalium et meridionalium eadem fuit indoles, idem ingenium, eadem progresfio. Namque Germanicae potisfimum gentes magis magisque ad cultiorem accedebant rationem, in quibus faec. XVI exftitit Reformatio. Varii furrexerunt in diverfis regionibus Reformatores, in quibus excitandis non admirari non posfumus divini Numinis curam, quod, ut confilio divino fatisfaciat genus humanum, Christiana Religione beatum, viros continuo fuscitavit, prae ac-

tate sua sapientes et probos; quique duces exsisterent gentium, altioribus ductarum studiis. Quam quidem sapientiam divinam, quo magis veneremur, oportet nos singulos attendere Reformatores et opus, ab iis peractum. Sic demum Historia exsistit *vitae magistra.*

Inter hos vero Reformatores omnium maxime, praeter Erasmum, celebrantur Lutherus atque Calvinus, uterque Ecclesiae, rite constituendae, auctor, adeo quidem ut saepissime ad hos unice referatur omne Reformationis opus. Medius inter hosce incessit Zuinglius, a multis laudatus, ab aliis neglectus, a nonnullis parvi habitus. Licet enim plurimorum celebranda sint in Historia Reformationis virorum immortalium merita, qui in variis Europae regionibus Sacrorum Emendationem promoverunt, sive illorum Reformatorum socios sese praestiterunt; hi tamen triumviri prae caeteris videntur celebrandi. Namque eorum opera non adeo secundaria fuit, neque etiam ad hanc illamve tantum regionem referenda, sed vero primaria est censenda, et vim habuit in plures Europae regiones, in quibus Protestantismus, qui dicitur, invaluit. Suos nempe habuerunt Reformatores singulae regiones; hos vero triumviros auctores habuit Protestantium Ecclesia.

Jam vero Lutherum plurimi ducem sequebantur in Germania, Dania, Suecia, Norvegia; Calvini vero placita deinceps accipiebant Helvetiorum, Gallorum, Belgarum plurimi. Neque est profecto, quare ne minimum quidem detrectaremus virtutes, quibus de humano genere immortaliter meriti fuerunt hi duumviri, laude numquam satis cumulandi. Attamen dolemus, Protestantes primis temporibus, et pos-

postea quoque, non adeo, uti par erat, magni fecisse Zuinglium, Helvetiorum Reformatorem, caeteris in plurimis fere similem, praestantiorem in nonnullis.

Huius rei quaenam essent causae, cum saepe mecum reputaverim, quaerendae maxime illae mihi videbantur cum in ipso viro, tum in temporum, quibus vixit, ratione. Liberale enim eius ingenium res sibi indagandas et pertractandas sumebat, nec vincula ferre ulla, aut *verbis formulisque* inhaerere poterat. Haud mirum igitur, quod eum non magnopere curaret subsequens aetas, quae de hisce tantopere fuit sollicita. Porro immatura morte ab opere plane perficiendo abreptus est. Accedit tandem summi Calvini mira elegantia, industria rara, atque invicta fortitudo, quibus impedimenta omnia superavit. Hisce igitur aliisque forte causis tribui possit, quare Zuinglii plurimis in oblivionem adduceretur memoria.

Cum vero aetatis nostrae consuetudo inprimis ferat, clarissimorum cuiusque aevi virorum merita digna celebrare memoria; cumque ante paucos hosce annos actum fuerit festum saeculare Reformationis tertium, in Zuinglii novo quodam ardore incidebant memoriam cum aliae gentes, tum maxime, patriae amore ducti, ipsi Helvetii (1).

Ne-

(1) Quae hac opportunitate de Zuinglio prodierunt scripta, videantur notata apud Bengelium, in *Archiv für die Theologie* etc. T. IV. p. 429. sqq. 605. sqq. Hisce conscriptis nobis innotuit, Tigurinos Theologos monumentum, quod sibi ipse scriptis suis struxit, ei dedicare, in animo habere, *nova nimirum editione Operum* Huld. Zuinglii,

Neque igitur abhorret a temporum nostrorum ratione, quod nos in eandem incidamus caufam, et Zuinglii Reformationem paulo accuratius exponendam et illustrandam nobis fumamus. Quod quidem eo magis operae pretium nobis videtur, cum Calvini existimatio in Belgio nostro iure fuo plerumque magna esfe foleat; neque vero, e nostra fententia, rite de Calvino iudicare posfumus, nifi perfpectam habeamus, quam Zuinglius in Helvetia impofuit, operam.

Vel fic tamen ne quis putet, nobis propofitum esfe, omnem Zuinglii in reformanda ecclefia operam, eiusve vim in alias regiones copiofe exponendi, quae cum Disfertationis Academicae fines excederent, tum etiam propter aliorum virorum laborem fupervacanea forent. Illud nobis fumfimus, ut historia duce de *indole Sacrorum Emendationis, a* Zuinglio *inftitutae, rite diiudicanda*, agamus.

Ne autem in explicanda huius Reformationis indole vagi erremus, modo prolabentes in caufas vel opportunitates, quibus exftitit, modo in modum, quo procesfit, modo etiam in effectus et fequelas, quas habuit, pauca ante monenda fuperfunt quam ad argumentum accedamus. Primum quidem loquimur de Sacrorum Emendatione, a Zuinglio inftituta. Qua intelligimus illam rerum commutationem, qua cogitandi fentiendique ratio de Deo et cultu, ei praeftando, aliam induit formam, eamque vitiis purgatam et ad divina effata exactam, quae commutatio Zuinglium habuit auctorem.

Se-

glii, quam procurandi fpem fecit Cl. Schulthess, Theologus Tigurinus.

Secundo. Cum praeter Zuinglium alii quoque Sacra Christiana, admodum depravata, emendare conati sint; unde novae etiam societates originem duxerunt; cunctae illae emendationes quaedam sibi propria privaque habent, quae ad internam ejus rationem naturamque pertinent. Jam vero emendationis, a Zuinglio institutae, indolem ita describimus, ut sit interna ejus ratio, quae variis proprietatibus constituitur, sive illas sibi privas habeat, sive cum caeteris communes.

Has igitur indicare volumus. Quod ut fiat, disputationis dispositio ita institui posse nobis videtur, ut

I. indagemus Helvetiorum conditionem eiusque vim ad excitandam et praeparandam Sacrorum Emendationem;

II. agamus de Zuinglio, Helvetiae Reformatore;

III. studeamus, ex omnibus hisce veram et dilucidam, quoad eius fieri possit, imaginem effingere indolis Sacrorum Emendationis, a Zuinglio institutae.

PARS

PARS PRIMA.

DE HELVETIORUM CONDITIONE, EIUSQUE VI AD EXCITANDAM ET PRAEPARANDAM SACRORUM EMENDATIONEM.

Non eadem est apud varias gentes morum, institutorum, legum, religionis conditio. Quisquis enim diversarum gentium instituta, causasque, e quibus processerint, rite attenderit, facile is animadvertit horum discrimen e varia gentium indole esse explicandum, sive magnam in hominium gentiumque instituta vim et efficacitatem habere hominum mores et consuetudines, tum etiam ipsius, quam incolunt, regionis situm et conditionem. Sic diversa et opposita regiminis ratio, quae in Oriente et Graecia, quin apud ipsos Athenienses et Lacedaemonios cernitur, ex eadem eorum indole explicanda videtur. Neque adeo, quae in gente obtinet, rerum conversio rite diiudicari potest, nisi illius gentis indolem et regionis notitiam perspectam habeamus.

Inprimis autem haecce ob oculos versentur, oportet, siquidem cum Religionis et Ecclesiae fata iuste diiudicare, tum etiam veram Sacrorum Emendationis indolem attingere velimus. Hisce vero aliud accedit momentum, desumtum illud ab ea gentis conditione, quae valeat ad excitandam et praeparandam rerum commutationem, quae in gente obtinet. Quae cum

in aliis regionibus aliam induerit formam, hac etiam de causa ipsa et gentis et regionis conditio est adumbranda.

Ut igitur ad consilium nostrum perveniamus, vix sufficeret rite exposuisse, quaenam peregerit Zuinglius, nisi antea conditionis, qua versabantur Helvetii, eiusque vim ad excitandam et praeparandam Reformationem, attendamus, ut noscamus, quanam in regione, quali in gente, et quibusnam in rerum περιστάσεσι Zuinglius exstiterit Reformator.

CAPUT PRIMUM.

HELVETIORUM CONDITIO POLITICA, GENTIS INDOLES.



§ I.

Soli conditio.

Helvetia non adeo regionis ambitu, verum potius soli conditione nobilis videtur. Europam inter Latinam et Germanicam media sita est. In hoc vero Europae cultioris veluti meditullio soli fertilitas, montium copia, lacuum et fluviorum, urbium et vicorum frequentia, aërisque temperies, naturae spectacula eaque grandia et magnifica sibi propria vindicasse videntur.

Eminet illa in Europae regionibus sua altitudine, eiusque adeo conditio a caeteris valde differt. *Alpes* sese efferunt atque extendunt per civitates Uranorum,

Sui-

Suitenfium, Untervallorum, Glareanorum, Appencellenfium, Lucernatium, Bernenfium. Montes, *Jura* dicti, Helvetiam a Gallia feparant. A feptentrionibus vero terra declivem habet latitudinem, et Rheno fluvio a Germania disiungitur. Lacus ibi bene multi, maiores illi Genevenfis, Conftantienfis, Tigurinus, Lucernenfis. Fluvii hinc originem ducunt inprimis quatuor, Rhenus fcilicet, Rhodanus, Tesfino, atque Arola. Uti autem terra haecce caeteris Europae regionibus elatior est, ita aëris temperies ibi tenuior, nec tamen fibi femper conftans, maxime in locis montanis. In vallibus laeta pascua, arva frugifera plerumque, at propter ariditatem aratu faepe difficilia. Neque est, iudice Zuinglio, alia regio, quae agrorum foecunditate, camporum fluviorumque amoenitate et virorum bellacisfimorum copia cum Helvetia conferri posfit (1).

Inprimis autem terra Tigurina confpectu est iucundisfima, collibus plenisfima et planitiis, lacubus et fluviis perfufa. Frumenta maxime laetantur patenti campo; fertilitate gaudent agri frugum et vitium. Pagorum atque vicorum magna copia; urbs ipfa inter pulcerrimas fita non immerito cenfetur.

Alia autem ratio est earum civitatum, quae montibus fere inclufae continentur, quales funt Suitenfis, Glaronenfis, Urienfis, Untervallenfis, Appencellenfis, in quibus fylvae denfae, atque arduae magno numero rupes; urbes vero nullae; neque tamen haec loca agrorum foecunditate prorfus destituuntur (2).

Coe-

(1) Vid. Zuinglii *Paraen. ad Suitens. remp.* Op. T. I. p. 158 *a.*

(2) Vid. Dr. Eduard Sulzer, *Kurze Erdbefchr. der Eidgenofs.*

Coeli autem et terrae conditio quam maximam vim habet et efficacitatem in hominis, quantum valet, corpus et animum. Hinc igitur est, caeteris causis non neglectis, quod unum idemque hominum genus, supra terram diffusum, tot conspiciatur classibus, quarum quaeque sua sibi propria habet privaque. Quod quidem hominum discrimen observatur non tantum in gentibus, longo a se intervallo remotis; sed perspicuum quoque est in nonnullis eiusdem gentis civitatibus. Uti autem Lybico sole nervorum vis imminuitur, animus vero debilitatur et abiicitur; ita coeli temperies tenuis et frigida nervos adstringit, corpus obdurat, animi fortitudinem excitat, nec voluptatibus et doloribus succumbere sinit. Verum cum coeli hac conditione ita coniuncta est terrae conditio, ut regiones, inter caeteras fertilitate et ubertate eminentes, studia quidem humaniora excitent, mores emolliant, simul vero animi vim deprimant magis, et torpescere sinant vindicandae libertatis studium; at contra ut loca montana mores alant rigidos, homines avitorum institutorum perquam tenaces reddant, et libertatis sensum adeo foveant, ut pericula fere omnia, mors adeo ipsa potius sit obeunda, quam servitium patiendum (1). Quod quidem de Helvetiae regione valet.

(1) Multi sunt hac in re explicanda Herderus, in opere *Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschh.* Tom. I, L. VII et VIII, et Montesquivius, *de l'Esprit des Loix*, Tom. II. L. XIV-XVIII. nisi hic saltem nimius in hisce fuerit.

§ II.

§ II.

Helvetiorum fata, et politica eorum ineunte saeculo XVI conditio.

Si quidem recedamus ad gentis incunabula, e variis gentibus confluxerunt Helvetii, illisque varii generis et variae indolis. Primum quidem, quoad novimus, Celticae originis gentes, quae Latinam incolebant Europam, in hisce tractibus sedes sibi quaesiverunt. Deinceps e septentrione advenit immensa copia Cimbrorum, qui sese cum Celtis istis coniungentes, Italiam invaserunt; sed hi Caio Mario auctore coacti sunt cis Alpes redire (1). Nec tamen desierunt arma contra Romanos ferre, et Galliam, provinciam Romanam, devastare. Quocirca Iulius Caesar eos variis praeliis victos eo adegit, ut supplices tandem se ei submitterent (2). Rhaeti vero, montes incolentes, hactenus libertatem suam vindicaverant; tandem magna clade affecti, a Druso et Tiberio victi sunt (3).

Quum autem saec. V. debilitatum Romanorum imperium barbarae gentes magna cum strage occupassent et conturbassent, factum est, ut Helvetiam quoque occuparent hae gentes. Dividebatur fere inter Burgundiones, Ostrogothos, Francos et Allemannos. Ex his nova veluti exstitit Helvetiorum gens, conflata illa

(1) Vid. Joh. von Müller, *der Gesch. Schw. Eidgenoss.* T. I. p. 11. sqq.

(2) Vid. Id. ib. p. 17. sqq.

(3) Vid. Id. ib. p. 35. sqq.

illa ex antiquis Latinae Europae incolis et Germanicis hisce populis (1).

Varia autem fuerunt politica huius gentis fata. Invalescenti enim Francorum regno maximam partem, idque per tria fere saecula, fuit subjecta. Mortuo autem Carolo M., partim quidem Reges Burgundionum, partim vero Germanorum Imperatores Helvetiam sibi subiecerunt; sed A°. 1032 Rudolpho III., rege Burgundionum vita defuncto, tota illa Imperator potitus est (2). Neque tamen aliis subiecti permanserunt Helvetii. Suam iam vim explicare, et ad maiora tendere coeperunt. Suam ipsi stabilire inceperunt libertatem politicam, et eo tandem processerunt, ut nobile illud conderent *Helvetiorum foedus*. Ipsius enim regionis conditio interna sensim sensimque magnam subiit commutationem. Varii Principes, quales fuere Zaeringii, Stauferi, Sabaudienses, Kiburgi, Habsburgi, sese extulerunt, ac magnam nacti sunt auctoritatem et potestatem. Florere quoque inceperunt quam maxime urbes Friburgum, Berna, Geneva, Lausanna, Tigurum, Basilea. — In media autem Helvetia locus situs est, montibus inclusus; lacus Waldstattensis non procul abest: ibi agros colebant Suitenses, quorum nomen hactenus fere erat ignotum. Tribus haecce in tres ordines sensim divisa fuit, in Suitenses scilicet, Uranos atque Untervallos, arctissimo tamen vinculo, libertatem, qua unice gloriabantur, vindicandi causa contracto, coniunc-

(1) Vid. Struvius, *Corpus Juris publ. imp. Germ.* ed. 3. C. 4. §. 4. C. 3. § 13. J. v. Müller, II. p. 69. sqq.
(2) J. v. Müller, II. p. 241. sqq.

iunctos. Hinc initia ducenda sunt libertatis totius Helvetiae (1).

Res enim sic sese habuit. Albrechtus, A°. 1298, Imperator creatus, Helvetios potestati suae prorsus subiicere conatus est; neque vero prudentia hac in re usus fuit, sed vi omnia peragere tentavit. Miserat autem, ut consilium suum assequeretur, duos principes, praetores licet appellari, Gesslerum et Beringerum Landenbergium, homines elatos et crudeles, qui mirum in modum in Helvetios saevierunt. Ardentes tandem et erecti ad libertatem recuperandam hi sese coniungunt. Iugo mox sese subtrahunt ducibus Furstio, Stauffero, Melchtallo, Tellio (1308). Foedus ineunt perpetuum, iureiurando sancitum (2). Quod foedus renovatum est et confirmatum praeclara victoria (1315) de Leopoldo, Austriacorum duce, reportata (3). Accesserunt paulo post ad eandem civitatum societatem Lucernates et Tigurini, mox etiam Glareani, Tugiani et Bernates (4), tandem initio fere saec. XVI Friburgi, Solodurni, Basileenses, Scaphusiani et Appencellenses (5). Iis deinde sese adscripserunt socios, at non iisdem legibus, neque tanta necessitudine coniunctos, Rhaeti, Leponti, Seduni, Veragri, Sangali, Mullusiani, Rutuilenses (6).

Ita

(1) J. v. Müller, II. p. 319. sqq.

(2) Id. ib. T. II. p. 75. sqq.

(3) Id. ib. p. 133. sqq.

(4) Id. ib. p. 283. sqq.

(5) Spittler, *Entwurf der Gesch. der Eur. Staat.* T. II. p. 19.

(6) Joh. Sleidanus, *Comm. de Statu Rel. et Reip.* L. III. p. 61.

Ita enatum est et constitutum foedus illud celeberrimum, a quo Helvetii deinceps dicti sunt *Helvetii foederati*. Inclaruerunt autem virtute maxime bellica. Multa enim interea gesserunt bella cum Austriacis; Francis, Burgundionibus, e quibus quam plurimum superiores decesserunt. Immortali laude in historia Helvetiorum omnino celebratae sunt dies, quibus pugnae gestae sunt Morgartensis, Laupensis, Sempachensis, Murtensis. Neque tamen Rempublicam suam Helvetii ab imperio prorsus avulsam atque sui juris, *αὐτόνομον* existimabant, donec tandem (1648) per pacem Westphalicam ab omni eximebantur imperii iurisdictione (1).

Prouti Philippus quondam, rex Macedonum, disrumpere dolo atque insidiis tentavit Amphictyones, atque ita ex intestinis dissidiis multum profecit; ita idem illud fecerunt Austriaci, bella inter Helvetios civilia excitantes, quod vel bellum Tigurinum (1443), magno animi ardore gestum, testari possit (2). Caeterum cuique perspicuum est magna quaeque peragere potuisse hanc gentem, tanta virtute claram, si mutua semper amicitia res egisset. At, proh dolor! homines, cum se fortuna elatos videant, difficile rectò et honesto tenentur.

Sic quidem exstitit Helvetiorum respublica; qualis vero fuerit *politica* huius Reipublicae ineunte saec. XVI *conditio* nunc paucis videamus. Haec autem omnium maxime nobis patebit, siquidem politicam, quam inierunt, coniunctionem cum Imperatore, cum Pon-

(1) Struvius, ll. C. 4. § 7. Millot, *Alg. Gesch.* T. IX. p. 20.

(2) J. v. Müller, ll. T. IV. p. 135 sqq.

Pontifice Romano, cum Principe Mediolanensi, cum Francorum Rege attendamus.

A multis inde annis regio Mediolanensis, in superiore Italiae parte sita, ansam dederat multis dissidiis inter Germaniae Imperatorem, Galliae Regem, ipsumque regionis Principem, Ludovicum Sforzam. Quandoquidem autem hisce temporibus Helvetii, vindicata patriae libertate, magna inter gentes auctoritate increverant, eorumque milites bellica virtute maxime inclaruerant, quisque horum Principum ad amicitiam eos sollicitavit, eosque ad suas partes trahere fuit conatus. Etenim Alpium hi incolae bellum gerendi studio ducti, nec non argenti cupiditate abrepti, inde a saec. XV. caeterarum gentium bellis sese immiscere consueverant, atque cum iis pacta inire, ut constituta mercede, militiae iis auxilium praestarent. Neque tantum, qui res administrabant, huic studio indulserunt, neque nobiles tantum, qui reditu annuo, a Principibus illis accepto, illorum caussam agebant (1); sed ipsa adeo plebs militiam volebat. Sese enim quisque praeda locupletem, victorem domum redire, alia hujuscemodi animis trahebant (2).

Itaque Ludovicus XII., Galliae Rex, consilium capiens Mediolanum armis occupandi, tale cum Helvetiis pactum iniit, et ab eorum copiis sustentatus, in Italiam irruit. Sforza vero, quomodo Regi obsisteret, haud sciens, itidem Helvetiorum auxilium imploravit, et, vetante licet magistratu, voluntarios mili-

li-

(1) J. v. Müller, ll. T. VI. p. 82.

(2) Schröck, *Chr. K. G. seit d. Ref.* T. I. p. 25. et scriptt. ibi laud.

lites accepit (1). At proeliis quibusdam commissis Sforza ab auxiliariis, ab hoste corruptis, turpiter relictus est, atque ita in manus Francorum pervenit ipse (2).

Non diu post Julius II. Pontifex, Imperator, Rex Galliae, Rex Hispaniae, et Princeps Sabaudensium foedus inierunt Cameracense, eo quidem consilio institutum, ut sibi subiicerent, atque inter se invicem dividerent Venetorum Rempublicam. Franco-Galli vero, cum Helvetiis coniuncti, prospero successu bellum gerebant, atque videbantur totam fere Italiam sibi submissuri. Certe ne hoc fieret valde timebat Pontifex Romanus. Quocirca consilium mutavit, foedus disrupit, cum Venetis sese coniunxit, atque sollicitavit Helvetios, inique a Ludovico habitos, ut suis eum opibus iuvarent. Hi igitur Alpibus descendunt, Franco-Gallos e Mediolano fere fugant, et Maximilianum, Sforzae filium, in pristinam dignitatem restituunt. Nec Franco-Galli tamen rem perditam existimabant. Proelium commiserunt (6. m. Jun. 1513.) prope Navarram. Ab utraque parte fortiter pugnare: magna clades, Helvetii vincere (3).

Franciscus vero I. ubi ad regiam in Gallia potestatem pervenerat, ad Italiam continuo oculos convertit, in eamque ipse copias duxit. Sforza Helvetios adiit, ne sese cum Francis coniungerent, at ipsi potius

(1) Simlerus, *de Rep. Helv.* L. I. p. 114. et Bullingerus, *Chron.* T. II. L. II. c. 1. apud J. C. Hess, *Lebensb. Ulr. Zwinglis.* p. 30.

(2) Millot, T. VII. p. 134.

(3) Bullingerus, *Chron.* T. II. L. XVI. c. 10. apud J. C. Hess p. 32.

tius opem ferrent, petiit. Incedunt (1515), et castra ponunt prope Marignam. Maxima vi certatur. Nox pugnae finem facit. Deinde ubi lux adventabat, Franco-Galli invadunt, Helvetii resistunt, sed copia hostium cedunt oppresfi; fortisfimus quisque aut occidit in praelio, aut graviter vulneratus discedit. Spectaculum horribile campis patentibus (1)! Ingens vero in Helvetia moeror et luctus, cognita hac clade. Civitates adversus civitates stare; in eadem urbe ab istiusmodi pactis cum caeteris Principibus abstinendum alii, alii Franco-Gallis potius milites auxilio mittendum, Pontifici Romano alii, clamare. Pax constituebatur (1516) Galliam inter et Helvetiam (2).

Hisce temporibus, ut arma indueret adversus Turcas, Leo X. Pontifex totam Europam invocavit. Verum hisce Helvetii in hanc sententiam responderunt: se tum id facturos, cum et caeterae gentes sese ostenderent paratas, huic voto obtemperandi et obediendi (3). Verum jam variae Europae gentes oculos converterunt in Germaniam. Maximiliano enim Imperatore fato functo (4), duo Principes longe potentisfimi imperatoriam dignitatem quaerebant, Carolus scilicet Hispaniae Rex, et Franciscus I. Galliae Rex. Helvetii vero, quippe qui ad Germanicam pertinebant gentem, a Cardinale Sionensi excitati, ut literas ad Pon-

(1) J. H. Hottingeri, *Hist. Eccl.* T. VI. p. 396.

(2) J. M. Schuler, *Huldr. Zwingli.* ed. 2. p. 79. sqq. 164. sqq.

(3) Ruchat, *Hist. de la Ref. de la Suisse.* T. I. p. 14. sqq. Wirz, *Helv. Kirch. G.* T. IV. p. 32. sqq.

(4) d. 12. m. Jun. 1519. Abr. Sculteti, *Annal. a. h. a.* p. 35.

Pontificem R. et Principes Germanicos mitterent, quibus Caroli caussam agerent, diu incerti haerebant, cum de utriusque Regis potestate accrescente aeque essent solliciti, tandem vero dominium Franco-Gallorum magis etiam timentes, Caroli partes esse amplectendas decreverunt (1). Historia autem innotuit primum quidem Fredericum, Principem Saxoniae, fuisse electum, deinde vero, illo negante, Carolum V. Imperatorem esse creatum. Bellum autem Imperatorem inter et Galliae Regem varias ob caussas diu abesse non potuit. Papa sui esse ratus, cum Imperatore foedus potius faciendum esse, de conditionibus cum Carolo conveniebat, quarum una haec erat, Franco-Gallos e regione Mediolanensi esse expellendos; Parmam vero et Piacensam potestati Pontificis subiiciendam. Anno autem 1521 ad moderatores foederis Helvetici, eo tempore Lucernae congregatos, suos legatos miserunt cum Carolus V. et Leo X., tum Franciscus I. Tandem pactum fecerunt Helvetii et Franco-Galli, a quo tamen abstinuit civitas Tigurina. Quae res caeterarum civitatum odium in eam concitavit. Quod quidem quam maxime increvit, ubi non diu postea Leo X. ex foedere, A°. 1515 sancito, ab Helvetiis consociatis auxilia poscebat, caeteri vero negabant, Tigurini et Tugiani concedebant. Exercitus Caroli Imperatoris et Tigurinorum mox de Franco-Gallis victoriam reportavit, eosque coëgit, Mediolanum relinquere. At Franco-Galli hanc regionem iterum expugnare conati sunt, caeteris Helvetiorum civitatibus opem ferentibus. Quamobrem Imperator et Cardinales (nam Sedes apostolica mortuo Leone

(1) Seckendorf, *de Lutheranismo*, L. I. §. 80. add. *K.* qui ipsas has Helvetiorum literas ex Mss. *Spalatini* affert.

ne vacua erat (1)) denuo ab Helvetiis milites quaerebant; hi vero, Pontificis morte foedus solutum rati, constantes negabant (2). Postquam autem prope Bicoccam Franco-Galli et Helvetii magnam cladem acceperant, civitas Suitensis tanto istiusmodi expeditiones habuit odio, ut certe per 25 annos ab iis abstinendum decerneret. Ac anno quidem 1524 Mediolanum a Franco-Gallis expugnabatur; verum eorum Helvetiorumque, qui cum iis foedus servabant, tali copiae domum redibant conditione, ut haec Italiae pars nequaquam illorum videretur commodis inservire.

Interea Tigurini a Pontifice, ut debita iis solveret, iterum iterumque poscebant; hic autem valde negabat, propterea quod in rebus Ecclesiasticis multa arbitrio mutaverant, eaque egerant, quae dignitati Sedis apostolicae erant opposita, quin eo tandem procedebat, ut A°. 1533 foedus iniret cum civitatibus Lucernensi, Uriensi, Suitensi, Untervallensi, Tugiana et Friburgensi adversus caeteras, quae Sacrorum Emendationem admiserant. Ita Tigurinorum et civitatum, cum iis iunctarum, politicae coniunctioni cum Pontifice Romano finis imponebatur (3).

§. III.

Helvetiorum indoles, et discrimen gentis, in iis observandum.

E gentium lingua cum stirps, e qua prodierunt, tum indoles, quam exseruerunt, cognosci fere potest. E

(1) Cal. decemb. a. 1521. Scultet a. h. a. p. 95.
(2) Sleidanus, ll. L. III. p. 66. Wirz, T. IV. S. 35. sqq. (3) Wirz, S. 40. sqq.

& linguae enim elementis, cultu, elegantia, decrementis gentium ut plurimum diiudicari possunt in cultu atque humanitate et progressio et decrementa: ex earum vero analogia gentium origines sunt perscrutandae. De quo quidem cum inter omnes satis constet, idem illud in Helvetiorum gente apparet.

Helvetii enim non omnes eadem lingua utuntur, sed vero partim Germanica, partim Gallica uti solent. Hac quidem illis in civitatibus, quae Galliae sunt propiores; illa vero, ubi Germaniae magis sunt affines. Hinc est, quod a multis inde temporibus haec regio in Helvetiam Germanicam et Gallicam sive Romansam divideretur. Quae sane nemini mirum accidant, reputanti gentes cum Latinas, tum Germanicas eam occupasse. Licet vero hae minorem regionis partem ditione tenuerint, maiorem illae, licet vix definiri possit, quanam ratione secum invicem in Helvetia coaluerint utriusque generis gentes, idem tamen illud gentis discrimen animadvertimus in illius moribus et institutis, in indole adeo (1). Neque tamen illud eo trahendum est, ut duae hae Helvetiorum veluti species moribus sibi invicem oppositae sint, verum, utut in nonnullis alia ratione sese exserentem, communem tamen quandam indolem explicuerunt.

Licet aevi medii, quod atro carbone in Historia huma-

ma-

(1) Tigurina autem civitas pertinet ad Helvetiam Germanicam, Genevensis vero ad Gallicam. Ruchat, T. III. p. 9. sqq. Hinc est, quod hoc ipso, quo vivimus, anno *Helvetii Alemannici invitaverint Helvetios, quibus Franco-Gallica lingua est nativa, ad monumentum Huldrici Zuinglii dedicandum* in Prospectu novae editionis *Operum Zuinglii*, quem ad Helvetios meridionales misit *Schulthessius* V. C.

manitatis notatur, barbaries apud Helvetios protulerit morum quandam ferocitatem, in proeliis in atrocitatem abientem; libidinem porro, immoderatum cibi, vini aleaeque usum; laudantur tamen in iis egregia quaedam, quae non a temporum ratione, sed a gentis natura originem ceperunt. In his imprimis acerrimum libertatis studium, quod per omnem dominatur Historiam, tum etiam animi fortitudo et propositi tenacitas, bellica virtus, honoris sensus, gratus animus, frugalitas, hospitalitas, sensus iusti et aequi (1). Animi quaedam agilitas eos saepe eo impellebat, ut nonnunquam forte agerent inconsiderata cupiditate et temeritate.

Qui autem in mediis montibus habitabant, naturae vivebant proximi; libertatis omnium maxime tenaces, neque adeo ingenio colendo, artibusque exercendis operam navabant; morum simplicitate sese commendabant, cui sese adiunxit Religionis ardor, quemadmodum cernebatur in Graecis quondam et Romanis (2).

Hanc vero Helvetiorum indolem initio saec. XVI. animadvertimus summopere depravatam. Multis enim et variis, quae gerebant, bellis ferocitas alebatur, plura vitia augebantur, quae mox post bella cum Burgundionibus, accrescentibus divitiis, sese manifestabant (3). Multae quidem, quibus huic pesti occurre-

(1) Wirz, T. III. S. 199. sqq. Praeclaram autem et vividam imaginem veterum Helvetiorum indolis effingit J. v. Müller, T. V. S. 181. sqq.

(2) J. v. Müller, T. V. S. 258.

(3) Wirz, T. III. p. 414. sqq. Vide qualem et quantam praedam ceperint e victoria, quam A°. 1467 prope urbem Gransonem de Burgundionibus reportaverant, apud Müllerum, T. VI. S. 147. sqq.

rerent, et corruptos mores emendarent, a concilio foederatorum ferebantur leges, nec tamen illae satis valebant (1). Continua enim bella, Pontifici Romano auxiliandi causa in Italia gesta, mox denuo proborum hominum spem et exspectationem frustrabantur. Avaritia et luxuria invadebant, egestas comitabatur; pudor, pudicitia, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habebantur (2).

§ IV.

De regiminis ratione inter Helvetios.

Civitatum fere antiquarum ratio cum civilis, tum moralis opere maxime instituebatur virorum, usu, sapientia atque animi quadam fortitudine inter suos aequales praestantium. In Historia autem gentium recentiorum non eadem cernitur ratio. Hae enim initio vel a Regum nutu pendebant totae, vel, quatenus Respublicas constituebant, a temporis potius conditione et rerum opportunitatibus suas acceperunt leges atque instituta. Idem hocce in Helvetia fere obtinuit. Antiquitus eorum regiminis ratio fere pependit ab institutis gentium, quibus erant subiecti. Dein vero suam ipsi constituerunt libertatem, suamque condiderunt Rempublicam. Prouti autem foedere quondam Amphictyonum plurimae coniungebantur in Graecia civitates; ita Helvetiorum Respublica e variis constabat civitatibus *(cantons)*, quae, quamvis quaeque suo gubernabatur magistratu, arctissimo tamen foedere sunt con-

(1) Müller, T. VI. S. 315.
(2) Wirz, T. IV. S. 48. cf. Schuler, S. 52. 101.

coniunctae. Nec tamen hoc ita est intelligendum, ut civitates Glaronensis peculiarem haberet rationem cum Lucernensi, aut Bernensis cum Tigurina et Lucernensi, aut Bernensis cum Glaronensi et Tugiana, verum illae tres, Suitensis, Uriensis atque Untervallensis, meditullium totius foederis veluti constituentes, vim in omnes regionis partes exserebant (1).

Huius vero foederis consilium hoc tempore tripartitum erat; scilicet, quo vincirentur Helvetii cum Ecclesia ac cum Imperio Germanico; quo una res agerent ad communem tuendam patriam; quo curae haberent regiones, eorum potestati subiectas (2). Increscente vero numero sociorum foederis, uti fieri solet, increverunt itidem leges; nec tamen illae ad confirmandam vim eius internam adeo valuerunt. Namque non omnes civitates omnium rerum procurandarum aeque participes erant, non omnes iisdem gaudebant iuribus.

Ipse autem Zuinglius Helvetiorum regiminis rationem describit, cuius verba afferre iuvat: „Aristocratia, quae non est paucorum, qui Rempublicam invaserunt, confusa potestas, neque populi lecta vel suffragiis, neque ἀκεφάλως, hoc est, nullo munita officio: (Haec enim oligarchica cum vitio vocatur, hoc est paucorum potentia.) sed optimatum potestas est, et populi iussu constituta, et officio, communibus suffragiis creato, directo. Qualis vestra est, o' cives, rerum summa. Primum enim aut curiatis comitiis Patres leguntur, qui magistri curiarum appellantur, et secundum ipsos totus Senatus: quamvis alio alia in urbe instituto et ordine, aut centuriatis, univer-

(1) Müllerus, T. II. S. 338.
(2) Id. ib. T. III. S. 402.

versus legitur comitiis. Leguntur autem et prudentissimi et optimi quique: ut non iniuria optimatum potestas vocetur. Secundo loco alleguntur minorum gentium Patres, qui pro numero Diacosii, aut Triacosii, aut Tetracosii appellantur. Tertio loco; aut utriusque ordinis Patres, aut totus populus officium legit: cuius ductu aut rogatu causae referantur, sciantur et cognoscantur, quem alii consulem, alii dictatorem vocant. Apud istos rerum summa sita est. Quam quis tam imperitus est, ut non optime constitutam esse videat? Primum enim officium habet et os: sed quod sibi non potest nimium permittere, propter optimatum potentiam et authoritatem. Hi enim sunt imperium et potestas. Deinde caput et pectus habet, Patres et Diacosios, ut res omnis non tantum sapienter, verum etiam fortiter geratur. Postremo habet plebem officio et Patribus omni necessitudinis vinculo adiunctam. Ex his enim Patres, ex Patribus officium constat. Haec religiosa est, quum se ipsa, quod angusta et honorata res est imperium, tum his, qui aut gerunt, aut obtemperant" (1).

Talis igitur etiam regiminis ratio apud Tigurinos inde ab A°. 1336 obtinuit. Ubi autem saeculo XV. civitatis huius fines extra urbem se extendere inceperunt, urbis magistratus imperium tenuit de caeteris hisce pagis et vicis (2). Minime vero iure quodam hae-

(1) Zuinglii, *ep. ad civit. Tiguri, Bernae, Const., Basileae, St. Galli, Mylhusii et Bielae urbium.* Op. T. III. p. 164 *a*.

(2) Füsslini, *Epit. Hist. Helv. Ant.* L. II. p. 115. apud J. C. Hess, S. 74. cf. Hottinger, *Hist. Eccl.* T. VII. p. 1391. sqq.

haereditario sibi succedebant hi Senatores, sed liberis populi suffragiis creabantur.

In civitatibus autem, quae montibus inclusae continentur, libertatis studia, quantum non oberant rationi civili, hisce maxime temporibus nullis fere limitibus circumscripta erant. Hinc omnia ibi magis arbitraria existebant, quemadmodum mores atque opiniones ferebant. Leges, admodum paucae, valebant maxime ad vindicandam libertatem cum universae civitatis, tum cuiusque civis, atque ad constituendum rerum usum communium. Hae autem leges comitiis ferebantur, quibus etiam, qui rerum moderamen gererent, eligebantur. Caetera more et consuetudine dirigebantur. Quisque autem pagus peculiaris veluti Reipublicae utebatur iuribus. Divites et pauperes, nobiles et plebeii omnes sese rebus civilibus et politicis immiscebant. A teneris enim inde annis omnes sine discrimine de patriae commodis audire et fari solebant. Res autem haud dissimilis Graecorum quondam moribus (1).

(1) Schüler, S. 51. sq.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

CONDITIO RELIGIONIS ET ECCLESIAE IN HELVETIA.

§ I.

Hierarchia.

Episcopus Romanus tantam variis opportunitatibus sensim sensimque nactus erat auctoritatem et potestatem in Christianorum animos, ut imperium teneret per universum Occidentem. Exstitit ita in Europa Hierarchia illa, quae altas omnino radices egerat, adeo ut vix ac ne vix quidem videretur ab iis erui posse. Ab ea tota Religio pendebat, suamque formam accipiebat.

Quo tempore (medio scilicet saeculo XI.) Imperium Germanicum per viginti et octo annos Imperatore erat destitutum, cum variis Principibus, tum Episcopis in Helvetia data est opportunitas potestatis suae quam maxime augendae. Helvetiae autem praepositi erant Episcopi Constantiensis, Basileensis, Lausannensis, Genevensis, et Sionensis sive Sedunensis (1). At vero deinceps magis magisque imminuebantur Episcoporum iura, pari ratione atque Hierarchia in despotismum tandem vergebat. Prouti enim caeterae gentes Europaeae sese addixerant mandatis atque institutis Pontificis Romani, ita Helvetii etiam: nec tamen

(1) Müllerus, II. T. I. p. 241.

men ita de iis videtur iudicandum (1), ut difficilius eo adigi viderentur, qui sese huius aliquando opponerent auctoritati. Montium enim incolae sibi constantes esse solent; atque omnino Helvetii ita erant comparati, ut libertatis, quo ducebantur, sensum, necessitate coacti opprimi quidem, at prorsus exstingui non paterentur (2). Ludovicum Imperatorem, a Clemente VI. (1328) licet interdicto petitum, haereticum tamen habere negabant. Basileenses et Mulhusiani; ipsi enim potius haeretici habebantur: et vel nonnulli *absolutionem* prorsus contemnebant, alii autem Nuntium Pontificis cogebant eandem nullo pretio largiri. Tigurini cum monachis proponerent, utrum cultum sacrum administrare mallent, an vero in exsilium ire, hi continuo prius eligebant. Quod facinus ubi audierat Pontifex, condemnandum quidem, sed propter animi vim, in eo conspicuam, admiratu etiam dignum esse ducebat (3). Arnoldi autem Brisciensis et Felicis Hemmerlini opera quam maxime valuerunt, quo nimia Hierarchiae vis inter Tigurinos inprimis et Suitenses infringeretur: sed de hisce viris infra plura notanda sunt.

Quod

(1) Quemadmodum sentit Schröckh, T. II. p. 104. Aliter autem Villers, ll. p. 52. Wirz, T. III. p. 276, et J. G. Muller, *Gedenkw. uit de Geschied. der Kerkherv.* T. I. p. 33.

(2) Vid. *Fasti Corbeienses Henrici monachi* apud H. Francke, *Arnold von Brescia*, S. 137. Hottingerus, ll. T. VIII. p. 1306.

(3) Vide plura exempla apud Ruchat, ll. T. I. *disc. prél.* p. XL. et XLI. Wirz, T. II. p. 21. sqq. 171. sq. 258. Cf. S. Hess, *Urspr., Gang und Folg. der durch Zuingli bew. Glaub. Verb.* p. 9.

Tigurinos autem suos clericos non prosecutos esse maiore, quam par erat, veneratione, hoc etiam exemplo probari potest. A°. scilicet 1230, lege promulgata, tributa in singula imponebant clericorum capita, eosdemque cuncta illa agere iubebant, quae omnium civium erant. Inprimis vero celebratae sunt literae, datae illae A°. 1370 a civitatibus Tigurina, Lucernensi, Tugiana, Uriensi, Untervallensi et Suitensi, quibus omnes clerici unae adstringebantur Helveticae iurisdictioni, caeteris omnibus cum Ecclesiasticis, tum civilibus exclusis (1).

Vel sic tamen Hierarchia in Helvetia vigere non desiit vi sua et auctoritate. Mittebantur enim a Pontifice cuiusvis generis homines (Curtisanos vocant) qui cultum sacrum administrarent, caeteraque praestarent sacri muneris officia (2). „ Interim vero plus quam miseri Germani ferre coguntur, ut stabularii et muliones ex Pontificum aulis ad nos transmissi opulentissima sacerdotia occupent, ut animarum cura illis commissa sit, qui scripturarum nulla prorsus notitia sunt praediti. Hoc nisi patienter feramus, Christianae Ecclesiae minus obedire dicemur" (3).

Maximus autem Hierarchiae abusus in *Indulgentiarum* cernitur *nundinatione*. Pontifices enim Romani ani-

(1) Vid. *Tscudi Chron.* a. h. a. apud Francke, II. S. 138.

(2) „ Venalia nobis templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae, Ignis, thura, preces, caelum est venale, Deusque." Bapt. Mantuanus, L. III. *Calamitatum.*

(3) Sunt ipsa Zuinglii verba in *Act. disp. Tig.* I. Op. T. II. p. 614. quibuscum conf. testimonium Jacobi Wimphelingii, *Apol. pro republ. chr.*

animadvertentes, quales quantosque haec res aperiret et recluderet thesauros, varias indagarunt rationes, honesti speciem habentes, indulgentias hasce nundinandi (1). Quamvis autem de peccandi libertate, hac ratione facile adipiscenda, deque venia delictorum ita impetranda, magnopere laetarentur homines, lascivis et corruptis moribus dediti; fuerunt tamen etiam omni aevo, cum in caeteris Europae regionibus, tum etiam in Helvetia, qui sese turpi isti negotio atque sanctae Ecclesia indigno, altiore quidem voce, opponerent (2).

Etsi vero impia haec fraus iam satis diu fuerit trita, ineunte tamen saec. XVI. ad summam perducta videtur impudentiam (3). Leo enim X., Iulii II. vestigiis insistens, (1516) nefandum in modum forum aperuit indulgentiarum, missis quaquaversum, qui venalia illa diplomata ferrent, et pecuniis exigendis praeficerentur (4). Eorum diplomatum in Helvetia publicandorum potestatem dedit Bernardo Samsoni Monacho Ordinis Minorum Regularis. Impudentissima adeo ratione iste munere suo functus est, absolutam annuncians peccatorum remissionem pro vivis non tantum, sed pro mortuis adeo; et vel remissionem venditans gravissimorum peccatorum, nec praeteritorum solum, verum etiam futurorum, et si vel quis Virginem

(1) Vid. Fra-Paolo Sarpi, *Hist. du Conc. de Trente*, L. I. p. 11. Multus autem est in huius rei expositione Hottingerus, ll. T. VIII. C. II.

(2) Hottingerus, T. VII. p. 543. sqq. cf. ejusdem *Meth. leg. Hist. Helv.* p. 544. sqq.

(3) Polyd. Vergilius, *de Invent.* L. VIII. c. 4. apud Hottingerum, T. VI. p. 186. sqq.

(4) Sleidanus, ll. L. I. p. 1.

nem Deiparam violasset (1). De Samsone autem ita scribit Hottingerus: „ facundus erat, et feliciter Helvetiorum pecunias emunxit, usque adeo, ut cistae et argento et argenteis vasis refertae, per Sarunetes in Italiam deportatae fuerint: quin et ipse, tribus Pontificibus multa aureorum millia corrasisse se, iactitabat (2).

Monachi Pontificis Romani veluti milites erant valde strenui. Longe enim lateque se per Europae regiones propagabant, in Helvetia etiam suas figebant sedes, atque ita laicos Episcoporum cuiusvis dioeceseos iurisdictioni ubique subtrahebant. „ Benedictini, Dominicani, Franciscani, Cistercienses, Augustiniani, Canonici, Lazarithae et multi alii, tanto libentius hic (in Helvetia) morabantur, quanto maiores cum amoenitate monasteriorum coniungere poterant reditus" (3). Ordines autem mendicantes a multis, qui rerum moderamen gerebant, in civitates aegre admittebantur (4). Caeterum Monachorum instituta, saec. XV. degeneraverant quam maxime a primi auctoris consilio. Abbates et Monachi otio et luxuria diffluebant, et propter fastum et libidinem maxime contemtui habebantur (5).

§ II.

(1) Dan. Gerdes, *Monum. Antiquit.* litt. D. p. 76. sqq. Eiusdem *Introd. in Hist. Euang. per Europ. renov.* p. 78. cf. Sarpi, II. p. 12. sq.

(2) Et quae sequuntur vid. apud Hottingerus, *Hist. Eccl.* T. VII. p. 161.

(3) Hottingerus, T. VIII. p. 1015. sqq. 1243. sqq.

(4) Hottingerus, T. VIII. p. 1246. sqq.

(5) Zuinglius, *de Sedit. auctoribus*, Op. T. II. p. 137 *b*. sqq. cf. Felix Malleolus, in *Regist. querel.* apud Hottinger, T. VIII. p. 1387.

§ II.

Depravatio doctrinae, cultus sacri, morum.

Valde fuisse depravatam saec. XVI. Theologiae, cultus sacri et morum conditionem, nemo Historiae Ecclesiasticae vel parum doctus nescit. Neque alia eius ratio fuit in Helvetia.

Theologia vix umbram referebat indolis Religionis Christianae. Hebraicae et Graecae linguae cognitio ubi sensim in oblivionem venerat, sola versione S. Codicis Latina uti inceperunt. Theologi, in SS. Libris interpretandis scripta adhibuere Patrum Ecclesiasticorum et Conciliorum decreta. At invalescente Philosophia Aristotelica divina effata fere negligi coeperunt. Lombardi, Thomae, Scoti, caeterorumque auctorum *scholasticae disciplinae* nomina magis pollebant, quam Petri, Paulive auctoritas (1); et sana Theologia omnino fere abiit in veras nugas. „ Quorsum enim attinet decertare, quod modis accipiatur *peccatum*; Privatio duntaxat sit, an Macula inhaerens animae? — Totis saeculis disputamus, an gratia, qua Deus nos diligit ac trahit, et qua nos illum vicissim diligimus, eadem sit gratia; et, an sit aliquid creatum, an increatum. — Atque haec si vel animi laxandi gratia vel citra contentionem agitarentur, ferri poterant; nunc quibusdam tota aetas in huiusmodi quaestionibus consumitur, et res usque ad clamorem, usque ad vera dissidia, usque ad convitia, nonnunquam usque ad pugnas procedit. — Quid autem nunc loquar

(1) Joan. Keisersbergii, *Epist. ad Jac. Wimpheling* apud Scultet. p. 14. sq. a. a. 1517.

quar de quaestiunculis non solum supervacaneis, sed poene dixerim impiis, quas movemus de potestate Dei, de potestate Romani Pontificis. An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui praecipere, et omne bonum prohibere, etiam amorem et cultum sui. An possit ex facto facere infectum, ac per hoc ex meretrici facere virginem. — An haec propositio sit possibilis: *Pater Deus odit Filium suum.* — Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus, idque a magnis Theologis, praesertim professione Religionis insignibus. — Novi quendam Theologum, qui negabat annos novem sufficere ad intelligenda, quae Scotus scripsit tantum in praefatione Lombardi. Audivi rursus alium, qui praedicabat, fieri non posse, ut quis intelligeret unam propositionem in toto Scoto, nisi metaphysicam ipsius universam teneret memoria" (1). Hinc igitur in Helvetia etiam sexcentae sectae, Thomistae, Scotistae, Occanistae, Bacconistae, Albertistae, Aegidianis Alexandrei (2). Plurimi Theologiae Doctores S. Codicem nunquam legerant; ne viderant quidem plurimi clerici: si qui essent, qui eius studio aliquantulum operam darent, contemtui habebantur ceu homines minuto ingenio (3). Ipse Faber, Vicarius Episcopi Constantiensis, testatus est, se

(1) Ita Erasmus ad 1 *Tim.* I. 6. quocum admodum conspirat testimonium Alphonsi de Castro, Theologi Hispani, *adv. Haer.* L. I. c. 4., apud Schuler, ll. in notis n°. 194. Exstat, teste *Gerdesio*, singularis J. G. Molleri, Diss. *de Alphonso a Castro testim. de ignor. Paparum.*

(2) Cf. *Apologia Senatus Populique Vratislaviensis* apud Scultet, a. a. 1523. p. 150.

(3) Ruchat T. I. *dist. prél* p. xi. sqq. Wirz T. IV. S. 35.

ſe de linguarum interpretatione nequaquam gloriari posſe, cum Hebraicae linguae inexpertus, in Graeca non bene adhuc inſtitutus, Latinae vero mediocrem duntaxat cognitionem adeptus esſet. Subiunxit ſimul, amice et pacifice vivi posſe, etſi Euangelium nullum exſtaret (1).

Quamvis igitur huius pestis, longe lateque grasſantis, huc illuc remedia attulerint meliora Mysticorum ſtudia, vera tamen et ſimplex Dei et venerationis, ei debitae, cognitio paene periit. Dogmata de Papae auctoritate, de Purgatorio, de Transſubſtantiatione, de ſeptem Sacramentis, de Sanctis, aliaque tanquam verae fidei criteria habebantur. Extra autem Eccleſiam nulla ſalus (2). Apud plurimos vero Clericos et Monachos ſumma Religionis habebatur ignorantia (3).

Miſere quoque corruptus fuit *cultus ſacer*. Quae enim e Christi disciplina Apostolorumque inſtitutione originem duxerat, divina illa ſimplicitas evanuerat prorſus; ſumma ſolennitas et ſplendida pompa ſucceſſerant: caerimoniarum maxima copia laborabat Eccleſia. Discrimen habebatur λατρείας, δουλείας et ὑπερδουλείας, quibus colerent Deum, Sanctos, et Mariam Virginem (4). *Reliquias* Christi, Apostolorum, Sa-

(1) Vid. *Acta disp*. I. in Zuinglii Op. T. II. p. 613. 622.

(2) Schröckh, ll. T. I. S. 91. ſq. „Ostendimus iam ſatis aperte iustum esſe, ut haereticus occidatur; quo autem genere mortis ſit occidendus, parum ad rem facit. Nam quocunque modo occidatur, ſemper conſulitur Eccleſiae." Alph. à Castro, ll. L. II. c. 12.

(3) Hottinger, T. VIII. p. 1295. Gerdes, ll. p. 30.

(4) Vid. P. Numag. *de Appar. Spirit*. p. 5 . apud Hot-

Sanctorum in dies increscentes publica prosequebantur veneratione. *Peregrinationes* in loca sancta magnae putabantur sanctitatis speciem prae se ferre. *Missae privatae* et pro *animis* factae cum vivis, tum mortuis ad salutem recuperandam necessariae habebantur (1).

Quibus autem officium impositum fuit, ritus sacros administrandi, Laicos docendi atque instituendi, hi male in munere hocce fungendo versabantur; neque erant huic rei idonei (2). „Inculcant (ita scribit Zuinglius) miserae plebi quidam hodie prophetae opiniones suas, quas ne ipsi quidem undique perspectas habent. Alii paradoxis et ambiguis gaudent. Quidam μικρολογοῦσι, mentam et anetum decimantes, et quae praecipua legis sunt, negligentes. — Alius in urbe foeneratoribus, negociatoribus, monopolis et publicanis aurem non iam vellicat, sed titullat. Alius rusticum genus ad raptum ac vim invitat. — Blanditiis omnia transigi putant debere" (3). Orationum Sacrarum argumentum in anilibus versabatur fabulis de Vespasiano, Veronicae Sudario, a vespis liberato; de Purgatorio Patricii; de lepra Constantini Magni; de colloquio Sibyllae cum Augusto. „Praedicabant verbum unum aut alterum obiter ex Euangelio; caetera erant de obligationibus, decimis, indulgentiis, vigiliis, missis, de divorum cultu." Cuncta barbara erant, et indigna, quae vel pa-

Hottinger, T. VIII. p. 1329. sqq. Polyd. Vergilius apud eundem, ib. p. 1334. sqq.

(1) Ruchat, II. T. I. *disc. prél.* p. XIV. sqq.

(2) Vid. Bullingeri *Chron.* a. a. 1519. apud Hottinger: T. VI. p. 646.

(3) Ita Zuinglius, *Ad S. P. Q. Argentorac.* Op. T. III. p. 306.

parum edoctus audiret. Superstitio hominum imbecillitatem ita occupaverat, ut celebris monasterii Neuhusani in Vangionibus Abbas dixerit: *si Lutherus non venisset, se persuasuros fuisse populo, ut foeno latrantem stomachum placassent* (1). Ad alendam superstitionem maxime etiam valuerunt praedicationes Monachorum mendicantium (Stationariorum s. Quaestuariorum). Hi autem circumvagando *schedulas magicas* vendere solebant, id est, literas, quibus homines et pecus adeo ab omni servarentur malo (2). Maximarum igitur optimarumque rerum ignorantia in plebe grassabatur.

Cunctis hisce animo perpensis, quales censebimus fuisse *mores Christianorum!* Omnia scilicet singulorum huius aevi scriptorum testimonia mirifice conspirant in vitiis hominum describendis et malitia (3). Etenim si vulgus spectes, prora illis et puppis vitae in caerimoniis erat. Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur vota, abiuratur Satanas cum pompis et voluptatibus suis; tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negotium susceptoribus, ut puerum curent instituendum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et iam puer Christianus dicitur. Mox rursus

(1) Vid. Zuinglius in *Euang. Marci* C. I. Op. T. IV. p. 144. Scultet, a. a. 1517. p. 17. Joan. Faber, *praef. de Declamat. divin. de hum. vitae miseria*, apud Hottinger, T. VIII. p. 1271.

(2) Hottinger, T. V. p. 929.

(3) De quibus vid. J. G. Muller, *Gedenkw.* T. I. in Append. p. 236-261. Cf. Ruchat, T. I. *disc. prél.* p. XXIX. sqq.

ſus ungitur, tandem diſcit confiteri, ſumit euchariſtiam, conſueſcit quiescere diebus festis, audire ſacrum, ieiunare nonnunquam, abſtinere a carnibus. Et haec ſi ſervat, habetur abſolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud Sacramentum: initiatur ſacris, rurſus ungitur et conſecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Magna pars hominum, dum his fidit, interim per fas neſasque congerit opes, ſervit irae, libidini, ſervit livori, ſervit ambitioni: ſic tandem venitur ad mortem. Hic rurſus caeremoniae paratae. Adhibetur confeſſio ſemel atque iterum, additur unctio, datur euchariſtia, adſunt cerei ſacri, adest crux, adest aqua ſacra, adhibentur indulgentiae, expromitur, aut illic etiam emitur morienti diploma Pontificis; ordinantur parentalia magnifice celebranda; fit rurſus ſtipulatio ſolennis; adest, qui clamet ad aurem morientis; imo nonnunquam occidit ante tempus, ſi contingat, ut ſaepe fit, vocalior, aut bene potus (1). Non cernebatur ergo ſalutaris illa, quae inest divinae nostrae Religioni, vis in hominum cogitandi, ſentiendi agendique rationem?

Nec mirum adeo hoc nobis accidat, ſi cum caetera illa ob oculos habeamus, tum perditos ipſorum Pontificum ac Clericorum animadvertamus mores. Quales enim fuere, qui ſe Vicarios Christi dicerent, et Sancti Patris nomine appellari gestirent! Sixtus IV, qui conſtituto vectigali ganeas Romae publicas admiſit! Innocentius VIII, de quo notum hoc epitaphium:

Octo *Nocens* pueros genuit, totidemque puellas;
Hunc merito poteris dicere, Roma, *Patrem!*

Alex-

(1) Sunt fere verba Erasmi, deſumta e *convivio religioſo*, in *Colloq.* eius obvio.

Alexander VI. monstrum nefandum, propter perfidiam, libidinem, crudelitatem in Historia atro carbone notatum! Iulius II. de quo hoc notasse sufficiat, eum, Petri in Tiberim proiectis clavibus, Pauli se arrepturum gladium dixisse! Leo denique X, eruditorum quidem amans, et moribus suavis, neque indoctus ipse, modo ut maiorem religionis cognitionem, atque paulo maiorem ad pietatis studium propensionem habuisset, nec voluptati potius, ambitioni et avaritiae totus fuisset deditus!

Caeterorum autem Clericorum ita dissoluta fuit vivendi ratio, ut vix amplius esset ferenda. Avaritia, fastus, tyrannis Episcoporum atque Abbatum, in Helvetia etiam, ad culmen fere pervenerat (1). Desidia, lubido, superbia, audacia, largitio, avaritia vigebant inter Clericos et Monachos. Ventri, somno, aleae dediti erant (2). Concubinarum blanditiis indulgebant Clerici; nonnulli earum plures publice aluerunt. Monachos virginibus stuprum intulisse, cum matronis adulterium commisisse, multis exemplis probari potest. Ita sacra profanaque omnia polluentes omnes in vulgi reprehensionem incurrebant (3).

§ III.

(1) Hottinger, T. VIII. p. 1367. sqq.

(2) Gerdes II. p. 25. sq. cf. Scultet II. p. 15. 149.

(3) Hottinger, T. VIII. p. 1346. sqq. 1360. sqq. T. IX. p. 304. sqq. Pet. Numag. p. 25. *de Nic. Subsylv.* ita Clericorum mores describit: „Quam multi, proh dolor! nunc sunt, qui non quaerunt Iesum, nisi ut bene eis faciat secundum tempus. Vix enim quaeritur Iesus nisi propter Iesum, sed propter panem, quam distribuit. — Quam multi hodie in Ecclesia Sancta Dei litigant pro essendo pastores, vere non ut pascant, sed depascant dominicas oves, sicubi reperiant, quod sit de pane lucrando." caet.

§ III.

Reformatorum πρόδρομοι in Helvetia.

Depravatam Religionis et Ecclesiae Christianae conditionem, quae in Helvetia obtinuit, exposuimus. At vero ineunte saec. XVI. omnia ita erant comparata, ut Reformatio procul abesse non posset. Namque non ita est existimandum, ac si haecce uno existeret veluti ictu temporis. Quaevis enim consuetudinum morumque conversio non subito oritur et sponte sua; sed, progrediente sensim ingenii cultu, dum tamen diu manet rerum externarum ratio, per longum temporis intervallum praeparari solet; tandem vero, opportunitate quadam excitata, prodit omni suo vigore (1).

Aderant igitur perfectioris rationis semina in ipsa Helvetiorum gentis indole heroïca; sed multis etiamnunc oppressa iacuerunt impedimentis. Ne autem illa temporis diuturnitate perirent prorsus, opportunitatibus opus erat, quae illa veluti foverent atque alerent. In hisce primum agendum est de viris, qui vario aevo in Helvetiorum gente suscitarunt atque explicuerunt perfectioris rationis studium. Quocirca ad Caroli Magni tempora adscendere lubet.

Et Caroli quidem Magni propterea mentionem facimus, cum ob ipsa eius merita, tum propterea, quod nonnullos vidimus statuentes, eum optimis suis institutis nihil fere profecisse, quippe quae una cum eo ipso fere omnia evanuissent (2). Non est, quod hic,

(1) Cf. Villers, II. p. 12. sqq.

(2) Ita quoque nuperrime, alios secutus, sentit amicus Gulielm. Muurling, in Comment. *de caussis bellorum sacrorum*, p. 5. 45. obvia in *Annalibus Acad. Rheno-Trai.* a°. 1826-1827.

hic, in illa, quae ab eo cum ad propagandam Religionem Christianam, tum ad emendandam eiusdem docendae rationem acta sunt, inquiramus, et quid illius res gestae Ecclesiae Christianae profuerint, quid obfuerint, diiudicemus (1). Magnopere autem apud Helvetios valuisse Carolum cum ad pellendam ignorantiam, tum ad regendos mores, testis nobis est Hottingerus (2). Post Caroli fata exstitit anarchia, nec minus invaluit aevi barbaries, cuius haec vis erat, ut, quae iam apparuerant, melioris cultus puriorisque Religionis initia non perirent quidem, verum in cinere veluti reconderentur. Omnia scilicet in hoc rerum terrestrium spectaculo caussarum continentur atque effectuum catena, neque ullam prorsus actionem, sive honesta illa sit, sive inhonesta, frustra esse, sinit rerum omnium Moderator. Itaque quam magnam exseruerat vim Francorum Rex, eadem, in occulto licet, per varia eius instituta, per monasteria maxime, agere pergebat. Ne autem duiturno temporis spatio eadem frangeretur, ac tandem interiret, Deus, ad cuius voluntatem tanquam ad primam rerum caussam adscendimus, alias excitavit opportunitates, quae vim illam agentem uberius promoverent, quales fuerunt et Monachorum Ordinum emendationes per *Congregationem Cluniacensem et Cisterciensem*, et *Expeditiones Sacrae*, et *Valdenses*, aliae.

Sed

(1) Vid. C. H. van Herwerden, *Resſponſum* ad hanc quaestionem, obvia in *Annalibus Acad. Lugd.-Batav.* 1824-1825.

(2) Hottinger, T. I. p. 562. T. VIII. p. 1012. 1097. sqq. Multa Carolus aeque valde laudanda condidit instituta cum alibi, tum in ipsa Tigurina urbe, v. c. Canonicorum *Capitulum*, eo quidem consilio conditum, ut Monachi ita disciplinas colerent, atque iuvenes instituerent.

Sed iam ad ipsam propius accedamus Helvetiam, in qua saec. XII. humanitatis et probitatis studia vel excitavit, vel aluit Arnoldus Brescienfis.

Is e Brescia, superioris Italiae urbe, oriundus, ab Abaelardo institutus fuit, et cum antiquis Historicis et Iurisconsultis, et praeterea cum placitis Mysticorum, Valdensium et Catharorum magnam contraxit familiaritatem. Novam sibi et peculiarem de Republica atque Ecclesia, Religionis Christianae indoli convenienter, constituenda formavit speciem. Quo maiore autem in docendo polleret auctoritate, Monachico sese ordini adiunxit. Eloquentia enim magna valuit, et sobrietate maxime fuit clarus, ita ut cum Iohanne compareretur Baptista. Iam docendi munus aggresfus est in ipsa patria Lombardia; verum a Concilio Lateranensi, (1139) auctore Pontifice Innocentio III. habito, condemnatus, Tigurum secesfit. — Perstringere inprimis solebat vitia Pontificis, et Clericorum.

——— ——— ——— Clerumque procaci
Insectans odio, Monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris.
Pontifices, ipsumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam, scelerataque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos, et praedia nulla
Iure sequi Monachos, nulli fiscalia iura
Pontificum, nulli curae popularis honorem
Abbatum sacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda.

——— ——— ——— ——— ———

——— mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque iocos, lascivaque gaudia Cleri,

Pon-

Pontificum fastus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachosque superbos (1).

Tigurinos autem et Suitenses ita sui imbuit admiratione, ut hi eum, a Romae civibus invitatum adversus nimiam Eugenii III., et caeterorum Clericorum potentiam, magno ardore ducem sequerentur (2). Arnoldo mortuo superstes mansit eius inter Helvetios cogitandi sentiendique ratio. Guntherus enim, saeculi sui facile princeps Poëta, Helvetios vocat nigros velut Arnoldi discipulos, additque:

—— venenato dudum corrupta sapore
Et nimium falsi doctrina vatis inhaerens,
Servat adhuc uvae gustum gens ista paternae (3).

Ne autem diutius, quam par est in hoc argumento haereamus, silentio hic praetermittendi sunt Iohannes Vitoduranus, Franciscanus Monachus, et Petrus Numagenus, Sacellanus Tigurinus (4). Pergimus igitur ad Felicem Malleolum (5). Praeclarus

(1) Guntherus *Ligur.* L. III. p. 47.

(2) Arnoldus prospera usus fortuna, Romanis Rempublicam constituit. At cum deinceps Adrianus, Pontifex electus, propter nova haec instituta ipsam Romam interdicto petiisset, atque ita Romanos coëgisset ad pacem cum eo ineundam, res in pristinam conditionem restituta est, abrogatis caeteris, et Arnoldo eiusque assectis ex urbe expulsis. Haereticus autem hic habitus, a Frederico I. Imperatore in vincula coniectus est, atque acerbissimam mortem passus. — Peculiariter de Arnoldo nuper egit Dr. H. Francke, *Arnold von Brescia und seine Zeit.*

(3) Vid. apud Hottinger. T. VIII. p. 1186.

(4) De quibus vid. Hottinger. T. VIII. p. 1311. sqq. alibi.

(5) Felix Hemmerlinus sive Malleolus saec. XV. Tiguri ex plebeio genere natus, doctrinae copia, clarus

rus ille vir, etsi non ab omni superstitionis labe immunis esset, variis tamen sese aevi erroribus opposuit. Romae poenarum remissionem et peccatorum absolutionem, et fundos Ecclesiasticos, et dignitates, nulla meritorum ratione habita, venalia esse, palam fuit professus. Pompam vero et luxuriam et corruptos mores Clericorum tam superioris, quam inferioris ordinis, vel ruinam augurare dixit omnium gentium, vel ipsius Hierarchiae interitum, siquidem eaedem illae gentes, mascula quadam vi excitatae, collum aliquando iugo erepturi forent (1).

Quod praesagierat Felix, illud revera videbatur instare, ubi in Bohemia maxime hominum conturbari coeperunt animi propter iniuriam a Concilio Constantiensi Husso illatam. Nota sunt viri fata. Mortem autem passus est ea quidem ratione, ut multi e vulgo in admirationem raperentur. Fuere quidem Helvetiorum haud pauci, qui Pontificum mandatis inducerentur, ut sacra quasi expeditione arma ferrent contra Hussitas. Quam plurimi vero, maxime e plebe, palam profitendo, Hussi pla-

rus, veri amore ductus, bonisque moribus eminens, ab Historicis celebratur. Postquam multa itinera fecerat, studia promovendi causa suscepta, praeclara obiit munera Ecclesiastica cum alibi, tum in Tigurina etiam urbe. Multos autem sibi paravit inimicos, propterea quod valde increpare consuevit in mores Clericorum dissolutos. Deinceps de variis criminibus accusatus, insons crudeliter habitus est, atque in vincula coniectus diem obiit supremum. Ore autem et scriptis ita inclaruit, ut ubique atque in ipsa aula Pontificis Romani nominis adeptus sit celebritatem.

(1) Hottinger, T. VIII. p. 1315. 1363. 1369. sqq. alibi. Cf. J. v. Müller, ll. T. III. p. 409. sq. T. V. p. 293. sqq. 213. sqq.

placita non ita reprobanda videri, ipsum autem insontem fuisse condemnatum, animos concitabant(1).

Tandem in mentionem incideremus magni illius Erasmi, qui, e Belgio oriundus, Basileae magnam vitae partem degens, in totam fere Europam, tum inprimis quoque in Helvetiam vim suam exseruit. Verumenimvero utrum ad Reformatorum Prodromos sit referendus, an vero ipse Reformator habendus sit, cum disquiratur; cumque eius merita a doctissimis viris celebrari soleant: nobis, invitis licet, hic abstinendum videtur a laudibus eius praedicandis (2).

Neque frustra fuere instituti horum virorum conatus; sed magnum melioris rationis desiderium, eorum inprimis ope, homines tenuit. Quae vox ita valuit, ut in ipsis Conciliis conatum haberent ad *reformandam Ecclesiam in capite et membris*.

§ IV.

Conamina reformandi publice instituta.

In ipsa Helvetia (Basileae) aut urbe, ei affine (Constantiae) habita fuere hac aetate Concilia, quae ad exci-

(1) Wirz, ll. T. III. p. 22. sqq.

(2) Qui Erasmi nostri erga Religionem Christianam merita uno quasi oculi intuitu velit perspicere, adeat Burigny, *Das Leben des Erasmus*, *herausg. von* H. P. C. Henke, T. II. p. 452. sqq. S. Hess, *Erasmus von Roterdam*, T. II. p. 504. sqq. Cf. Ypeij et Dermout, *Gesch. der Ned. Herv. Kerk*, T. I. p. 23. sqq. Vitam autem Erasmi describendi inter nostrates initium fecit Jac. Scheltema, vir doctissimus, (vid. *Mengelwerk*, T. I. p. 59.); quod opus ut tandem ad finem perducat, valde optemus.

citandam Reformationem valuisse feruntur. At vero „ video quod Ecclesiae Reformatio nunquam fiet per Concilium sine praesidentia doctoris bene affectati, prudentis simul et constantis." Vere hoc dixisse Gersonem (1), si vel quaedam Sacrorum Emendatio, vere ita dicta, a Concilio quodam potuerit aliquando constitui, ex Historia illorum Conciliorum, quibus Pisanum II. adiungendum est, omnino patet.

Pontifices Avenionenses non magnopere valuerant ad confirmandam Sedis Apostolicae auctoritatem; et vero scisma, quod deinde obtinuit, Ecclesiam penitus labefactare videbatur. Concilium Pisanum I. (1409), quod Ecclesiae pacem componendi habuit consilium, caeteris tertium addidit Pontificem. Constantiense quidem Concilium (1414) nonnulla videbatur instituere; at spem fefellerunt omnem fraus et dolus. Patres vero Basileënses (1431) propositi tenaces sese praestiterunt adversus Eugenium IV, et quaedam emendanda esse vitia maxime grasfantia decreverunt; nec tamen Reformationem, proprie ita dictam, tetigerunt. Denique Concilii Pisani II. Patres (1511), quamvis Iulium II. accusasfent tanquam „ manifestum et continuum in sua perversitate impeditorem ac turbatorem, — et assiduum in maximum Ecclesiae scandalum et iacturam contumacem, — pacis inimicum, — et in his omnibus enormibus continuis et notoriis criminibus incorrigibilem, induratum, inveteratum et obstinatum," eumque propter haec omnia indignum declarasfent, qui Pontificia dignitate amplius gauderet: non diu tamen post omnes, de sua salute metuentes, domum secesserunt (2).

Non

(1) Apud Wirz, T. III. p. 29.

(2) Vid. de hisce Conciliis Gerdes, II. p. 31. sqq.

Non magnos profecto habuere effectus haecce conamina, ſi eorum, quo inſtituta ſunt, conſilium ſpectes. Ipſi autem, a quibus ordiendum erat, Pontifices, Cardinales, et Episcopi omnium fere vitiorum labe erant infecti. Impediverunt praeterea rei ſucceſſum Principum vel deſidia, vel mutua bella. Probi igitur homines ſpem videbantur habuiſſe ex vano. At vel ſic tamen aevi ſtudium, ſemel ſuſcitatum, haud facile prorſus ſupprimitur, et vel ipſis illis conatibus, fruſtra inſtitutis, excitatur, inprimis ſiquidem e Literis, rite excultis, magnum capere poſſit praeſidium.

§ V.

Vis Literarum ad fovenda ſtudia rationis perfectioris.

Medii aevi temporibus Literarum ſtudium in Helvetia fere fuit neglectum. Etenim inde a Conrado de Mure, homine parum docto (1259), usque ad Felicem Hemmerlinum vix aliquis nominis celebritatem nactus est (1). Clerici vero, quorum intererat maiorem hisce ſtudiis operam impendere, in maximam lapſi erant ignaviam inertiamque (2). Pauca admodum fuere adminicula eaque parum idonea (3). Quin iſtis temporibus tritum erat ſermone proverbium: *quo melior Grammaticus, eo peior Theologicus* (4). At

(1) Hottinger, T. VIII. p. 1226. ſqq.

(2) Ruchat, T. I. *disc. prél.* p. 8. ſqq. Wirz, T. III. p. 414.

(3) Wirz, II. p. 246. ſqq.

(4) Hottinger, *de Episcop. inſtit.* L. II. c. 18. Fuere au-

At laetior mox illuxit dies. Ipsa illa, quae diximus, Literarum adminicula in Helvetia prius in usum convertebantur, quam in ipsa Gallia, neque id in urbibus tantum, v. c. Basileae et Genevae, verum in oppidis etiam et monasteriis (1). Praeterea, quae in aliis regionibus Helvetii gesserunt bella, haec partim quidem valuerunt ad corrumpendos mores, partim vero quoque eos liberarunt a quam plurimis praeindicatis opinionibus. Hinc igitur factum est, ut Tiguri praesertim praeclari exstiterint viri, quorum nomina Historia memoriae prodidit; fuere hi Jacobus Chamus, Nicolaus Münchus, Johannes Niesius, alii (2). Academia etiam Basileënsis hoc tempore doctissimorum virorum opera valde florere incepit. Illic Conradus Pellicanus, applaudentibus auditoribus, Theologiam docuit, et varii argumenti scriptis laudes et gratias accepit (3). Johannes Reuchlinus linguae Hebraicae fuit instaurator, de quo Erasmus: „merito virum hunc ceu Phoenicem et unicum suum decus tota suscipit ac veneratur Germania (4). Johannes Geilerus, qui et Keisers-

autem, qui in orationibus sacris maxime in Literarum studium inveherent. *Arcete*, inquierunt, *liberos vestros a Graecis Literis! Hinc nascuntur haereses. Adeste praefecti! Succurrite, cives! Tantam pestem arcete rebus humanis!* Vid. quae Erasmus praemisit *Annotationibus suis in Epist. Pauli ad Ephes.*

(1) Wirz, p. 37. sq. 449. Cf. J. v. Müller, T. VI. p. 272. 381.

(2) Wirz, II. p. 338.

(3) Adami, *vitae Theolog. Germ.* p. 126. Gerdes, p. 109. sqq.

(4) Gerdes, p. 138. sqq. Lectu dignissimae sunt *Episto-*

iersbergius dicitur, non minus vitae probitate, quam doctrinae copia venerabilis fuit (1). In Literis excolendis, sine publica professione, consenuit Beatus sive Bildius Rhenanus (2). Et, ut caeteros omittamus, quot et quanta fuere Erasmi nostri merita! Totius ille sui aevi fuit decus, et apud posteros aeterna eius vigebit memoria.

Iam vero hi tales tantique viri, prouti in caeteris Europae regionibus, ita maxime etiam in Helvetia floruerunt. Interea autem nobilissima illa librorum inprimendorum ars inventa est, qua hisce temporibus divinius quidquam nec terris commodari, neque ab hominibus exoptari potuit (3).

Varii argumenti iam prodierunt scripta, in quibus censenda sunt cum opera inprimis Erasmi, quae ubique sensum melioris rationis excitabant atque alebant, tum notissimum illud opus, ab Hutteno praesertim conscriptum: *Epistolae obscurorum virorum*, quo saeculi barbaries deridenda exhibetur (4). Frobenius autem Basileënsis, et Froschauërus Tigurinus typographi sunt laudandi.

tolae clarorum virorum ad *Reuchlinum* (sive *Capitonem*) missae. *Tig.* apud Chr. Froshoverum 1558.

(1) Adami, *vitae* p. 3. sqq.

(2) Adami, *vitae Germ. Philosoph.* p. 61. sqq.

(3) Scultet a. a. 1516. p. 1. sqq. Gerdes p. 1. sqq.

(4) Gèrdes p. 17. nota *a*.

CA-

CAPUT TERTIUM.

QUOMODO HAECCE VALUERUNT AD PRAEPARANDAM ET EXCITANDAM SACRORUM EMENDATIONEM.

Cognita iam nobis gente Helvetica, et investigata conditione Religionis Christianae hisce temporibus, superest, ut ostendamus, quomodo haecce valuerint ad procurandam Reformationem, qualis deinceps exstitit, Zuinglio inprimis auctore. Ut autem ordine procedamus, rem omnem ad tria haecce potissimum momenta, quae ex supra dictis sequuntur, referre optime posse nobis videmur: *primo* Sacrorum Emendatione Helvetiis opus fuisse; *secundo* tempora ad illam procurandam valde fuisse opportuna; *tertio* denique gentis Helveticae indolem ac regiminis rationem universe perquam fuisse idoneam ad illam instituendam.

§ I.

Sacrorum Emendatio hisce temporibus opus erat Helvetiis.

Universa Reformationis historia ab eo fere incipit: illam fuisse gentium et Religionis conditionem, ut omnino opus esset Reformatione: quod negare vix ausus fuerit ingenuus quisque Pontificiae Ecclesiae addictus, nisi (quod rite observavit acutissimus Broes (1)) illi for-

(1) W. Broes, *de Engelsche Hervormde Kerk en haar invloed op onze Nederlandsche.* T. I. p. 1.

fortasſe, qui omnium maxime Reformatione indigerent. Ipſa enim Religionis Christianae indoles fere perierat, externa forma oppreſſa. Quod, uti aliis in regionibus, ita in Helvetia potisſimum locum habuit.

Namque quae gravisſima erant Religionis Christianae capita: Deum ſeſe nobis exhibere Patrem clementisſimum, benignisſimum; deinde nos peccando miſeros interveniente Iesu Christo, Dei Filio, cum eo in gratiam posſe redire, fidem ac reſipiscentiam praeſtantes, adiuvante Spiritu Sancto: haec miſere corrupta habuere Helvetii, cum nimiam in Sanctos, in Pontificem Romanum ponerent fiduciam; cum poenarum reconciliationem ſibi auro quaererent ab Indulgentiarum nundinatoribus; cum virtutem abſolverent bonis quibusdam operibus; cum univerſe hominum praecepta divinis, leges canonicas Sacri Codicis effatis praeferrent; verbo cum illud Ieſu effatum: πνεῦμα ὁ Θεός, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν, negligerent prorſus, et indolem hancce Religionis πνευματικῆς ritibus et caerimoniis obſcurarent.

Sic quidem Helvetia, una cum caeteris gentibus indigebat Reformatione, qualis deinceps exſtitit, inprimis cum Pontifex Romanus vehementer ſeſe hisce conatibus opponeret, et omni, qua potuit, vi inter Helvetios Hierarchiam ſtabilire ſtuderet. Quod inculta, qua ad hoc usque tempus verſati erant, aetate facile praeſtare potuit.

Praecipua enim depravatae Religionis cauſa videtur in ingravescente rerum divinarum humanarumque ignorantia omnino quaerenda. Quo incultior vero est ingenii ratio, eo homines ſunt procliviores ad id, quod

quod sensibus placeat et mulceat; ita tandem formae solae adhaerere, rei indolem prorsus negligere incipiunt. Hinc tot tantique errores; hinc superstitio; hinc tota Hierarchiae moles. Itaque, forte quis dicat, ut cuncta ad Christi institutum revocentur, homines modo melius sunt instituendi, neque adeo istiusmodi Reformatione opus est, quae vi et furore superstitiosa quaeque invadat ac corruat. Verum qui ita sentit, secum reputet velim, *et* Ecclesiae illius aevi conditionem nimis corruptam, ut levi remedio curari potuisset; *et* Hierarchiae indolem illiberalem (*intolerantem*), doctrinarumque studio minus faventem, *et* conditionem hodiernam Hispaniae, Austriae caeterarumque regionum, Pontifici Romano addictarum, *et* denique quid probabiliter futurum fuisset, nisi exstitisset Emendatio illa Sacrorum, quae Lutherum, Zuinglium, Calvinum inprimis auctores habuit (1). Quid vero hanc in rem a Conciliis exspectandum fuisset, vel Historia doceat Conciliorum Constantiensis, Basileënsis et Pisani.

§ II.

Tempora valde fuerunt opportuna ad procurandam in Helvetia Reformationem.

Nemo igitur facile, haecce ingenue animadvertens, Reformationis in Helvetia instituendae necessitatem inficias ibit. At tali Emendatione iam diu ante opus fuisse Ecclesiae Christianae, luculenter apparet e variis istis conaminibus, hanc in rem publice priva-

(1) Verbo haecce tantum indicavimus, quod uberius ea exposuit Villers, II. p. 84. sqq. *ed. ster.*

vatimque institutis. Verum quod vix effectum sortierentur haecce conamina, ex eo etiam repetendum videtur, quod ipsius aevi conditio rei successum fere impediverit. Scilicet a puero non sunt exspectanda, quae juvenili demum conveniant aetati.

Ut ante Christum Religio Mosaica quam maxime erat depravata, Deus tamen pro sua sapientia tempora elegit instituto suo novam inter omnes terrarum gentes societatem condendi commodissima (1). Neque aliter de aevo, quo exstitit Sacrorum Emendatio, iudicandum videtur. *Primum* enim universe observamus in gentibus Germanicis, ad quas Helvetii magnam partem pertinebant, his temporibus diu praeparata latuisse melioris rationis semina, quae Reformatorum προδρομοις sparsa atque a conaminibus, publice emendandae Ecclesiae causa institutis, fota, tandem per literarum incrementa, et varii argumenti scripta, typis expressa, ad maturitatem pervenerunt. Verum *praeterea* cuncta illa hoc aevo in Helvetia ita erant comparata, ut libertatis vindicandae desiderium promoverent. Liberam enim habebant Rempublicam neque pendentem eam vel a Germaniae Imperatore, vel a Franco-Gallorum Rege, utroque Principe longe potentissimo. Neque hoc levi momento est censendum. Carolus enim V. et Franciscus I. politicis inprimis studiis ducebantur, atque Emendationi Sacrorum universe magis obfuisse, quam profuisse dicendi sunt. Hierarchiae autem in Helvetiam vis non talis fuit, ut difficile ei sese subtrahere posse viderentur. *Deinde* cum vix cunctae

(1) Quae uti ab omnibus Historicis exponi solent, ita nuper accuratissime docuit Cl. Neander, *Gesch. der Christl. Rel. und Kirche*, T. I. Sect. I. S. 4-90.

tae civitates ad communem Rempublicam accesfisfent, illum libertatis ardorem, uti folent fere gentes, facile his temporibus ad Religionem transtulerunt, maxime illa in regione, quae aëris temperie et naturae deliciis cum fenfus altiores, tum libertatis ardorem excitare folet, et propofiti tenaces reddit incolas. *Porro* variis, quae extra patriam gesferunt, bellis Helvetii de vitiis certiores fiebant, quae magno numero in ipfa grasfabantur Pontificis aula: quod fane non potuit non valde obesfe Religioni, quam etiamnunc erga ipfum fibi vindicare folebant. *Praeterea* nifi morum corruptio in dies increscceret, atque ita omnis Religionis fenfus apud multos evanesceret, Helvetii bellis istis, argenti caufa gerendis, finem imponere, et *penfiones* istas, quae dicebantur, prohibere debebant. Iam cum multae civitates de hisce abrogandis decreta tulisfent, magnum ita de moribus lucrum facientes, viam fibi muniebant ad procurandam Reformationem, quae in iis emendandis inprimis verfaretur. *Denique*, a curis hisce politicis vacui, iidem illi otium adepti funt, quo ad facra rite attenderent animos.

Iam vero fi hasce caufas et opportunitates adiungamus Reformationis necesfitati, § praecedente defcriptae, quam fenferunt Helvetiorum bene multi, cuiusque adeo defiderio flagrarunt, quisque, nifi totus fallar, luce clarius animadvertit, tempora quam maxime fuisfe ad praeparandam et excitandam in Helvetia Reformationem opportuna.

Ne autem quis, haecce confiderans, in animum fibi inducat, iam veri fore fimillimum, ut omnes Helvetiorum civitates talem inftituerent Reformationem. Nam quominus id fieret, aliae impediverunt caufae. Religio fcilicet Pontificia inter Suitenfes, Urienfes et Un-

tervallenses formam induerat, accommodatam illam ad indolem hominum, montes incolentium, et Reipublicae maxime studiis indulgentium. *Deinde* iidem illi homines vivida inprimis phantasia gaudebant, et rebus ducebantur in sensus incurrentibus, ac istiusmodi, pastoritiam puta, vivendi rationem agebant, quae ritibus solet et caerimoniis delectari. *Porro* cum istis caeremoniis, quibus Ecclesia Romana conspicua est, arctissime coniuncta erant festa illa in beatam virorum memoriam, qui patriae libertatem constituerant et vindicaverant, instituta, atque in hisce inprimis civitatibus, in quibus foederis Helvetici olim initia habebantur, maximo ardore celebranda. *Praeterea* pauperes illi montium incolae de Hierarchiae iugo et varii generis tributis non magnopere queri poterant. Quibus *denique* accedit, eos de ingenio excolendo omnium minime fuisse sollicitos, et sacerdotes inprimis, quippe qui caeteris doctiores habebantur, magnam exseruisse vim in eorum consilia et agendi rationem (1). Neque etiam negligendum videtur, nonnullas civitates, odio incitatas politico, vehementer alienas fuisse a Tigurinorum consiliis, quod monuimus c. 1. § 2. (2). Saepissime autem coniungi et confundi factiones civiles litesque de rebus sacris, cuique ex Historia notum est.

(1) Sunt fere verba Villersii, II. p. 152. sq.

(2) Idem illud observavit Hamelsveldius, *Kerkel. Gesch.* T. XX. p. 377.

§ III.

§ III.

Gentis Helveticae indoles et regiminis ratio ad instituendam Reformationem fuit idonea.

Cum vero a gentis indole ac regiminis forma pendere varia eius instituta saepissime vidimus, quaenam esset utriusque huius apud Helvetios conditio, habita Sacrorum Emendationis ratione, observasse haud abs re videtur. Iam cuidam Helvetios animadvertenti, antea Romanae Ecclesiae addictos, nunc vero sese ad Reformationem ita propensos ostendentes, ut mox novam conderent sodalitatem, haec forte succurrit quaestio, utrum iidem in hac agendi diversitate servaverint indolem, an vero mutaverint. Ex iis, quae antea ex eorum Historia cum civili, tum Ecclesiastica notavimus, facile colligimus eos, ut ingenium sese sensim paulatimque explicuit, eandem tamen universe servasse indolem. Difficile autem gentem, etsi vel magnam subierit rerum commutationem, commutare indolem, Historia nobis testis est. Ita v. c. Hebraei, qui ante exsilium Babylonicum se ad idolorum plurimque Deorum cultum valde propensos, postea autem universe ab eo vehementer alienos ostenderunt, in hac agendi diversitate, eandem servarunt indolem (1). Idem testatur Arabum exemplum, qui, licet, Muhammede auctore, commutationem subierint unam in paucis gravissimam, indolem tamen eandem omnino manifestarunt. Verum ne nimis peregrina afferre videamur, ipsos attendere lubet populos Germanicos.

(1) Quod egregie docuit amicus J. Gerritzen, in Comment. de hac quaestione, obvia in *Annalibus Acad. Rheno-Trai.* a°. 1823-1824.

eos. Quantopere enim Christianis laborandum erat, ut hosce populos, de proavorum consuetudinibus atque institutis admodum sollicitos, eo tandem ducerent ut Religionem profiterentur Christianam. Quam illi profitentes mox ad rudiorem adeo suam indolem quodammodo componere studebant. Sanctos illos tanquam heroes suspicere atque venerari coeperunt: in Hierarchiam Romanam militaria sua transtulerunt studia, unde factum est, ut indulgerent quam maxime *expeditionibus sacris*, atque *equestris* illa ratio iis valde placeret. Hinc igitur probabile fit, Helvetios in eadem re Hebraeis, Arabibusque et Germanicis istis populis, e quibus et ipsi originem traxerunt, esse adnumerandos. Quae cum cuique hancce causam accuratius investiganti, satis luculenter apparent; hic sumere licet, Helvetios, quamvis Reformationis desiderio fere ducerentur, non propterea tamen indolem commutasse. Ab eadem autem hacce indole eorum quoque regiminis ratio suam acceperat formam, quae vicissim in cuncta, quae ad magnam in Religione commutationem ducere videbantur, suam vim non exserere non potuit. Ab hisce autem ulterius probandis abstinendum nobis est hoc loco, cum e supra allatis, satis patent. Hanc vero nos ad nonnullas ducunt observationes, quae ad secundam Disf. partem viam nobis parant.

Primo, Sacrorum si rite constituta foret Emendatio, liberalitate illa, vere Christiana, conspicua esse debebat, eamque ad suam veluti naturam referre. Quanam igitur in gente istiusmodi ratio rectius potuisset procedere, quam in hac Helvetiorum gente, quorum libertatis sensus nec Regum, neque Imperatorum conaminibus, neque ipsius quidem Hierarchiae vi opprimi, nedum divelli potuit? *Deinde* ad procurandam

hanc-

hancce Reformationem opus erat magna animi vi et propositi tenacitate, quae nec blanditiis, neque invidia ac furore opprimi se pateretur. Nonne vero iisdem hisce virtutibus ornati erant Helvetii, ita ut vix ac ne vix quidem ab eo possent abduci, quod semel magno animi ardore inceperant, in quo tamen peragendo, propter animi quandam agilitatem, forte nimis inconsiderate, procedere solebant? *Porro* eadem Reformatio cum inprimis quoque occupata esset in emendandis moribus: qua tandem in gente, nisi in Helvetiis, aptius potuisset accidere, qui, dummodo vires intenderint, tantae moralis perfectionis erant capaces? *Denique* hoc addendum, ne in hac rerum commutatione pro lubitu ageret Magistratus, prohibuit civium libertas: contra quominus aut seditio oriretur, aut nonnulli in sodalitate Christiana condenda novam Hierarchiam affectarent, impedivit bene constituta Reipublicae ratio. Sic politica et ecclesiastica causa arctissime fuit coniuncta. Quod quo magis pateat, attendamus discrimen vindicandae libertatis Religionis in Helvetia atque in Belgio, eadem illa aetate; quod sane discrimen ex utriusque gentis conditione profluxit. Belgae aeque ac Helvetii occupati erant in constituenda libertate cum politica, tum Religionis. Utrique Rempublicam condiderunt, in Europa celebratam. Verum *illi* a vindicandis iuribus Religionis inceperunt, et his demum fuerunt inducti, ut politicam acquirerent libertatem. Sic Reformatio apud illos exstitit fundamentum Reipublicae. Contra *Helvetii* suam iam constituerant Rempublicam, suam sibi vindicaverant libertatem politicam, cum Reformationem instituerent. Hinc vinculum Religionem inter et Rempublicam apud utramque gentem erat diversum.

PARS

PARS SECUNDA.

DE ZUINGLIO, HELVETIAE REFORMATORE.

Hisce ita praeparatis, Zuinglius prodiit Helvetiae Reformator. Quae enim in caeteris regionibus locum habuerunt, eadem illa in Helvetia haud frustra quaerimus. Iamiam decrementa cernebantur Hierarchiae; iam eo pervenerant Helvetii, ut facrum illud non diutius ferrent iugum. Quum igitur magna prope inftare videretur rerum commutatio, viro tantum opus erat, qui ingenii animique facultatibus valeret, ad magnum illud negotium conftituendum, et cuncta, vitam ipfam, pro Religionis caufa profundere non abhorreret. Talis vir exftitit Zuinglius, Helvetiae Reformator.

CAPUT PRIMUM.

ZUINGLII VITA ET INDOLES.

§ I.

Adolescentia.

Zuinglii hic copiofe enarrandi fata neque nobis est propofitum, neque nostrum fert confilium; fed il-
lam

iam tantum attendamus, oportet, rerum temporisque rationem, quae ad eum instituendum informandumque Helvetiae Reformatorem omnino valuit.

Habetur haud procul ab Helvetiis, quibuscum etiam foedere coniunctus est, *Comitatus*, qui dicitur, quondam Doggiorum (*het Graafschap Toggenburg*), amoenis conspicuus locis fertilibusque propter montium, vallium, sylvarum, fluminum, qua gaudet, copiam. A libertatis ardore, a proficiendi cupidine, ab artis musicae studio incolae inprimis laudari solent. Hac in regione, et in pago quidem, quem vocant *ad Domum Sylvestrem* (*Wildhaus*), 2010 pedum numero supra lacum Tigurinum elato, Zuinglii fuerunt incunabula (1). Illic prima die anni 1484 natus fuit e parentibus Huldrico Zuinglio, id temporis pago praeposito (*Amman*), et Margaretha Meili, utroque morum probitate admodum conspicuo (2). Iohannem Meili, Abbatem Viscingensem, avunculum habuit, qui de puero optime fuit meritus, quod ipse testatus est: „ non equidem (inquit) animo meo excidit Abbatis Viscingensis, cognati nostri fidelissimi, consilium, quo me non semel modestiae ad-

(1) J. F. Franz, *Zwinglis Geburtsort* (St. Gallen 1819).

(2) „Clarus fuit pater ob spectatam vitae sanctimoniam, et supremam, ut inter illam gentem, dignitatem: Amannus erat enim." Myconius, in *vita et obitu H. Zuinglii*, qui libellus praemissus est *Epistt. Joa. Oecolampadii et Huldr. Zuinglii*. Idem autem Myconius, et Adamus, *Vitae Theolog.* etc. in vita Zuinglii, diem natalem fuisse aiunt primam anni 1487; at male. vid. Usteri *und* Vögelin, *Jahrtafel für die Lebensgesch. H. Zwinglis*, praem. Operi *M. Huld. Zwinglis sämmtl. Schrift. im Auszuge.*

admonuit, ut nimirum huius in omni conatu hoc memor, si rem hanc aggrediar, ne forsan magni alicuius mali mihi author sim: cuius admonitioni amicae et salutiferae me gratias dignas debere fateor. Cum enim me paterno amore semper persecutus sit, non quicquam de illius candore dubitare possum, quin et hac admonitione sua animum suum nobis testari voluerit" (1). Bartholomaeum autem Zuinglium, Antistitem hoc tempore in vico *Wildhaus* (2), hominem non indoctum, patruum habuit, et vel magistrum amantissimum. Pater enim (ait Myconius) ominatus de filiolo non male, tenerrimum adhuc fratri sacrificio commendabat, si quid Literarum in eo comperiret. — Haecce autem de puerili Huldrici observasse aetate, haud indignum videbatur, inprimis cum et loci conditio, et civium indoles, et parentum exemplum, et magistri denique institutio, quibus quis puer usus fuerit, magnam in hominem habere solet efficacitatem.

Verum iam in eo fuit adolescentulus, ut alio indigeret praeceptore; quo factum, nt decennis curae commissus sit Gregorii Bintzlii, Basileae Literarum initia docentis, viri docti, probi, et mirum in modum mansueti. Hisce in scholis discendi ardore magnisque, quos fecit, progressibus summam meruit laudem (2). Tribus vero annis post, suadente Bintzlio, Bernam profectus, Henricum Lupulum

(1) Zuinglius in *Dedic. Sermonis de Casta, intemerata, semperque Virgine Maria.* Op. T. I. p. 340 *b.*

(2) Is deinceps Antistes et Decanus fuit in urbe Wesen prope lacum, qui dicitur Wallenstadtensis.

(3) Wirz, l. T. IV. p. 131.

lum (Wölflin) audivit, virum doctrinae copia clarum atque inter illius aevi poëtas haud contemnendum. Iam ipsos auctores Latinos, qui dicuntur, classicos adiit, iisque sedulo volvendis rerum sibi comparavit cognitionem, iudicium acuit, sensum veri pulcrique exercuit. At vero non multum hic abfuit, quin optimae spei iuveni eidemque musicae artis perito persuaderent Dominicani, ut Ordini ipsorum Monachico se adscriberet (1). Quod cum cognovissent pater et patruus, de eo valde solliciti, ne perditis istorum moribus corrumperetur, Viennam eum (1499) miserunt, quo ad illorum temporum rationem Philosophiae operam daret. Neque vero Philosophiae illius depravatae studium illi, qui Literarum humaniorum iam captus erat elegantia, omni prorsus destitutum fuit utilitate, quippe quo rite cogitandi et acute iudicandi facultate increvit, et tela cognovit, quibus deinceps eum petituri essent adversarii. Intimam interea coluit amicitiam cum Hendrico Glareano (Lorit) et Ioachimo Vadiano (von Wadt), utroque itidem ex Helvetia oriundo (2). Iuvenilis autem aetas ad amicitiam contrahendam est aptissima, e qua propter animorum, studiorumque similitudinem magna redundare solet mutua utilitas. Praeterea hic cognitos habuit Eckium, et Faberum, qui deinceps acerrimi ei exstiterunt inimici.

Postquam igitur per triennium fere Viennae commoratus fuerat, nunc sibi ipsi prospiciendi, et simul Theologiae

(1) J. C. Hess II. p. 11.

(2) Usteri et Vögelin, *Jahrt.* p. 6. hisce addunt *Conradum* et *Leopoldum Grebelium* fratres, de quibus tamen dubitat Schuler, II. notis n°. 16.

giae operam navandi tempus adesse videbatur. Quocirca Basileam reversus (1502), Literarum initia in schola Martiniana docendi provinciam in se suscepit. Privatas interea Literarum et Philosophiae exercitationes diligenter est persecutus, ut et ipsi honori et amicis utilitati, et Reipublicae emolumento esse posset. Nec vero seriis tantum delectari consuevit, verum iocum etiam et ludum sermonibus inserere amavit: nam magna fuit in adolescente iucunditas, et in iocando lepos. Musicis inprimis se dedit, quibus ad altum prae multis pervenit perfectionis gradum (1).

Tali igitur Zuinglius ingenio ad Theologiae studium transiit, in quo Leonem Iudam comitem habuit et amicum fidelissimum. De praeceptore autem, quo usi sunt illi, audiamus Leonem ita disserentem: „E vobis [e Bielenensibus] prodiit nobis D. Thomas ille Vittenbachius, vir in omni disciplinarum genere exercitatissimus, et qui propter multiiugam eruditionem omnibus istius saeculi doctissimis hominibus miraculo et stupori, et phoenix quaedam habitus sit. Quo praeceptore Zuinglius et ego, uno eodemque tempore circa annum Domini MDV Basileae Literis operam navantes, formati sumus. Nec solum in cultioribus disciplinis, quorum erat callentissimus, sed in scripturarum quoque veritate. Ut enim homo ille praeter singularem eloquentiam acuto erat ingenio, multa, quae posteris temporibus ab aliis

(1) — „Non solum Musicen ita coluit, sed omnibus Literarum studiosis, ut eandem pari secum ratione colerent, suasit diligentissime. Cum nihil sit enim, quod hominis animum, quacunque tristitia turbatum, honestius exhilaret, quacunque severitate obnubilatum iucundius serenet, quidni sic suasisset?" Myconius in vita.

aliis prodita sunt, praevidebat, ac praesagiebat, ut de indulgentiis Papisticis, et aliis rebus, quibus Romanus Pontifex stultum mundum aliquot iam saeculis dementaverat. Ex hoc hausimus, quidquid nobis fuit solidae eruditionis, atque hoc totum ei debemus. Quum ergo a tanto viro semina quaedam verae Religionis Zuingliano pectori iniecta essent, et calcar additum, quo ad lectionem Sacrarum Literarum, reiectis nugis sophisticis, excitaretur, ad Graecanicarum Literarum studium statim accinctus Marte suo profecit" (1). Idem ille Vittenbachius in disputatione publica docuit, „ indulgentiarum negotium nihil esse quam fucum et dolum" (2). Quamnam vero in iuvenilem animum vim habere solet carissimi cuiusdam praeceptoris institutio, nemo est, qui nesciat.

§ II.

Zuinglius *sacro munere Glaronae fungitur.*

Optime ita accinctus Zuinglius sacrum munus obiit. Postquam enim (1506) in Academia Basileensi Philosophiae Magister fuerat creatus, a Glaronensibus, invito licet Pontifice Romano, qui hocce, quod dicitur, *beneficium* iam alii cuidam, nomine Göldlin, concesserat, ad sacra ministranda vocatus est. Zuinglius autem, quantum sibi deesset, quo rite officio fungeretur, probe sibi conscius, summo denuo animi ardore in disciplinarum studium incubuit. E La-

(1) *Ad Clar. Bielenenses* L. Judae *epist.*, praem. Zuinglii *Annott. in plerosque N. T. libros.* Op. T. IV.
(2) Zuinglii, *Explan. Artic.* Op. T. I. p. 37 *b.*

Latinis inprimis Valerius Maximus, e Graecis Lucianus ei placuerunt. Omnium maxime in Libros S. S. inquirere, ex iisque vere ſapere conatus fuit. Deſcripſit ipſe et memoriae mandavit Paulinas Epistolas. In interpretando loca parallela et contextam orationem ob oculos habenda esſe ſibi duxit; verum quaecunque bonae frugis ediderunt Patres Eccleſiastici, inprimis Origenes, Chryſostomus, Ambroſius et Hieronymus, maxime etiam, quae praeclare notaverat Erasmus, abhibuit ſuosque in uſus ſedulo convertit (1). In hisce exercitationibus, quibus verae ſibi ſapientiae laudes paravit, admodum fuit delectatus. Nec vero Haereticorum, qui habebantur, ſcripta propterca neglexit, ſed quae reliquerunt Ratramnus Monachus, Wicleſus, Husſus, Picus Mirandola, ſtudioſe perpendit, ſeque ex iis multum profecisſe ſaepius est confesſus (2).

Helvetiorum autem mores his temporibus valde corruptos maxime deploravit Zuinglius; ſed quo melius huius rei cauſam perſpiceret, mox propius intuendi opportunitatem nactus est. Est hoc enim Helvetiis in more poſitum, ut proeliis interesſent Sacerdotes, qui Sacra ministrarent, qui morientibus ultimo, quod dicitur, *ſacramento* occurrerent, qui admonitionibus et cohortationibus militum laſciviam cohiberent, et pectora imbuerent vincendi aut moriendi cupidine (3). Iam vero Zuinglius, Glareanorum castra in Italiam ſecutus, proeliis interfuit Pavienſi, Navarrenſi et Marignannenſi (4). Quem tandem dolo-

(1) Wirz, T. IV. p. 133. J. C. Hess p. 19.
(2) Hottinger, T. VI p. 485.
(3) Hottinger, T. VI. p. 709.
(4) Werner Steiner, *Chron.* apud Hottinge-

lorem censeamus animum eius hoc tempore sustinuisse! Quantopere deplorasse Helvetiorum insaniam, qua abrepti sese ipsi ceu servos et pecudes vendebant Principibus! Huius, quem sentiebat, doloris testes sunt duo carmina, ab eo condita, quibus fabulae specie perditos Helvetiorum mores, huiusque rei caussam ad vivam quasi depinxit imaginem (1).

Cuncta esse emendanda intime sibi persuasit. Ut igitur iam inceperat, ita nunc maxime pergebat, ad meliora alacri tendere animo, caeterosque in rectam adducere viam. Homo autem, istiusmodi ingenio et suavissimis moribus praeditus, non potuit non multos sibi conciliare amicos, multosque sibi parare inimicos. Tanta apud magistratum, plebem et nonnullos clericos valuit auctoritate, ut nulla fere alicuius pretii suscepta sit causa, nisi illius ante cognito consilio (2). Viros maxime nobiles, quales fuerunt e domo Tscudiana, Aeblina, caet., suos habuit familiares. Arctiora autem amicitiae vincula contraxit cum Bintzlio, Antistite in urbe Wesen, suo quondam praeceptore, cum Adamo, Antistite in pago Molli, cum Varschone, Antistite in oppido Kerensen, quibuscum saepissime de rebus sacris haud sine fructu disputavit. Cum caeteris vero, inter quos inprimis Glareanus est censendus, amicitiam coluit literis vicissim datis (3).

Pro-

gerum T. VI. p. 709. Ipse Zuinglius expeditionem, a°. 1512 susceptam descripsit; qua de re vid. Schuler, p. 81. sqq.

(1) Horum carminum expositionem videas apud Schuler, p. 62. sqq.

(2) Hottinger T. VI. p. 371.

(3) De hisce vid. Wirz, T. VI. p. 136., qui plura hanc in rem citavit e Joh. Jac. Simmleri, *Samml.*

alter

Profecto non exiguam cuncta haec vim habuerunt ad informandum Zuinglii animum, eumque excitandum, ut eadem, quam instituerat, ratione laudabiliter ac mascule pergeret. Quod autem Erasmus ille susceptis eius faveret, illud ei stimulum addidisse, quis, quaeso, non videt? (1)

Verumenimvero quem summis rerum Moderator ad magni quid efficiendum destinavit, non ille prospera semper utitur fortuna; sed saepissime per multa magnaque rerum discrimina ad propositum sibi adducitur consilium et finem. Ita enim vires periclitando exercere, animum prae rebus caducis efferre, prudentiam constantiae coniungere discit. Quae sane Zuin-

alter und neuer Urk. zur Beleucht. der Kirchengesch. des Schweizerl. V. VIII. Inprimis autem vid. Schuler p. 127. sqq.

(1) Operae pretium est Erasmi hic adducere epistolam, ad Zuinglium, *Philosophum ac Theologum cumprimis eruditum*, hoc tempore missam. Sic sese habet: *Mniorem in modum me delectavit et tuus tam propensus in me animus, et litterarum tuarum festiva iuxta et erudita argutia. Quibus si parum respondero, non mihi debes imputare; sed hisce laboribus, nunquam opinor finiendis, per quos cum saepenumero cogor esse parum humanius in eos, in quos minime velim, in me ipsum tamen sum inhumanissimus, genii vim exhauriens, quam ne quinta quidem sarciat essentia. Lucubrationes nostras Tibi probari, Viro tam probato, vehementer laetor, et hoc sane nomine minus mihi displicent. Gratulor Helvetiae Genti, cuius ingenio peculiariter etiam faveo, quam Tu Tuique similes optimis etiam studiis ac moribus, et expolietis et nobilitabitis. — — — Fac, mi* Huldrice, *ut obiter calamum exerceas, optimum dicendi Magistrum: video favere* Minervam, *si accesserit exercitatio.* — Vid. apud Hottingerum T. VI. p. 626, 627.

Zuinglii item exemplo probari posſunt. Infeſto eum animo perſecuti ſunt varii generis homines. Et omnes quidem illi, qui Principum munera (*penſiones*, de quibus ſupra diximus) accipiebant, queri ſemper ſolebant, ſe eo auctore multitudini in odium et invidiam venire. Dolebat autem, et exprobrabat Clericorum caterva, odioſum ſane genus hominum, ſe ab eo, qui ne a Pontifice quidem Romano hoc in *beneficio* fuit collocatus, et ingenio, et moribus, et auctoritate ſuperari. Hiſce denique ſeſe adiunxerunt caeteri, qui, cuiusvis generis vitiis indulgentes, hanc ob cauſam in eius incurrebant reprehenſiones (1). Neque tamen publica eum laedendi conamina inſtituere auſi ſunt: verum occulte eum petierunt. A morum maxime, qua gaudebat, ſuavitate eum calumniandi anſam ceperunt. Zuinglius autem vivido praeditus ingenio, artis muſicae peritus, pulcri ſenſu ductus, delectari ſolebat hominum conſortio, atque amicitia uti foeminarum bene moratarum. Neque ipſe Myconius eum in iuventute ab omni licentiae labe inſontem iudicat. Namque inquit, „ ut hominem iuvenem non posſum liberare ab omni peccati naevo," mox tamen addit, „ ſic reverentia pudoris, imprimis autem officii divini, perpetuo cavit, ne malo exemplo coeleſtis imminueret auctoritatem doctrinae" (2). Eo ve-

(1) Schuler, l. l. p. 135 ſqq. et ſcriptt. ibi cit. Uſteri et Vögelin, *Jahrt.* S. 14.

(2) *Peccatorem equidem magnum me eſſe non inficior, turpiter vero et flagitioſe nunquam vixi, ne tunc quidem cum annis eſſem junior, adeo ut nemo unquam me alicujus criminis inſimulare potuerit.* Zuingl. *ad Valent. Compar.* Op. T. I. p. 227.

vero tandem inimicorum procesſit impudentia, ut multa Zuinglio nefanda facinora imputarent, quin eum propterea ex coetu Glaronenſi expulſum esſe affirmarent (1). Quae tamen omnia Zuinglii animum magis roborabant, quam debilitabant. Laetandi autem ei cauſa accidit, quum in alium migrandi locum opportunitas ei offerretur.

§ III.

Zuinglius
in loco Eremitano Sacrorum minister.

Est in civitate Suitenſi in valle haud adeo fertili monasterium Divae Virginis Eremitanae (*Einſiedeln*), ſylvis undique tectum, propterea imprimis celebratum, quod Angelorum hic colere ſolebant Christiani festum annuum, quo *plenariam* acciperent peccatorum *indulgentiam* (2). Ad hunc locum Zuinglius, dolentibus maxime Glareanis (3), transiit, ibique alios eosque egregios viros invenit, quibuscum propter morum ſimilitudinem pariaque ſtudia facile amicitiam contraxit. Qui quidem viri verbo hic videntur notandi. In hisce Conradus Reckenbergius, Abbas, ſenex fuit parum quidem doctus, verum liberali praeditus ingenio, Monachorum ſtudiis quam maxime favens (4). Re-

(1) Gerdes, *Introd.* II. p. 104. *nota b.*

(2) Ipſi enim feruntur Angeli ſacram hanc aedem olim initiasſe. Vid. J. C. Heſs, l. l. S. 51 ſqq.

(3) Hottinger, l. l. T. VI. p. 359. T. VIII. p. 24 ſqq. Wirz, l. l. S. 139. Schuler, l. l. in notis n°. 140.

(4) Joh. Leu, *Lebensgeſch. Leo Juds* in *Miscell. Tig.* 3. 28 ſq. apud S. Heſs, *Urſpr.* etc. S. 22. Schulteti *Ann.* a. a. 1517. p. 19.

Hic vero rerum in monasterio administrationem Theobaldo tradiderat Geroldseggio, *viro generoso et vere nobili et legendi avido* (1). Porro Franciscus Zinggius, Capellanus S. Sedis ipsiusque monasterii, doctrinae amantissimus, et artis musicae peritus. Praeter hosce Michaël Sanderus, Johannes Oechslipus, Erasmus Schmidius. Quos igitur Zuinglius omnes sibi amicos comparavit studiorumque comites. Amicorum autem ope, qui Basileae degebant, multos in Bibliothecae monasterii usum magni pretii libros emit. Iam omnes eodem animo eodemque discendi studio ducti libros sacros legerunt, Patrum scripta, Erasmi etiam, Reuchlini aliorumque (2).

Zuinglius vero in multis, quae egit, probatus ivit, et eximiorum virorum applausu incitatus ad magna quaeque processit. De Romanae Ecclesiae erroribus magis magisque sibi persuasit, neque sententiam suam adeo operuit amplius, sed candide saepe professus est, alia prorsus docere Sacrum Codicem. Aliquando etiam cum ipso Matthaeo, Cardinali Sedunensi, *de Traditionum humanarum erroribus, deque doctrina et S. Scriptura* disserebat, qui, se *Romanensium errores probe cognoscere, et cognitos improbare*, ei dixit (3). Cuncta igitur haec effecerunt, ut tandem

(1) Zuingl. *Explan. Art.* Op. T. I. p. 37. *b.*

(2) Gerdes, l. l. p. 195. Zuinglius, *ad Petrum Sebivillam. Epp. Oec. et Zuingl.* p. 191. *a. Ep.* Zuinglii *ad Geroldseggium* praem. diss. *de Canone Missae.* Op. T. I. p. 176. *b.*

(3) Zuinglii, *Resp. ad Valent. Compar.* Op. T. I. p. 230.

dem ſacra emendandi firmum conſtaret conſilium: quod quo firmius teneret, nihil magis valere poterat, quam Samſonis, indulgentias in Helvetia nundinantis, impudentia (1).

Itaque quietis et tranquillitatis pleniſſimus ille locus maxime opportunus fuit Zuinglio, qui vires colligeret ac roboraret, ut omni ſe vi et ardore opponeret ignorantiae, praeiudicatis opinionibus, moribusque depravatis, ut veri bonique ſenſu, qui Religioni divinae inest, Christianos imbueret, eosque adduceret ad venerandum Deum ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ.

§ IV.

Zuinglius Tigurina in urbe variis opportunitatibus adducitur ad conſilium conſtanti animo exſequendum.

Hactenus historico ordine Zuinglii fata brevi perlustravimus; nunc vero, ne in rerum copia vagi erremus, cuncta locis quibusdam distinguenda videntur, et breviter adumbranda. Quapropter primum de iis videamus, quae eum adhortandi imprimis habuerunt vim.

Tigurina urbs meditullium veluti erat totius Helvetiae. Ibi cum Nuntius Pontificis ſuam ſedem habebat, tum viri habitabant maxime nobiles atque eruditi. Quamvis autem et hic quam plurimi in exterorum Principum militiam proficiscendi ſtudio esſent abducti, hocce tamen tempore omnes fere agriculturae caeterisque artibus operam imponere ceperunt (2).

Huc

(1) Hottinger, l. l. T. VII. p. 161 ſqq.

(2) J. C. Heſs, l. l. S. 71 ſqq. cf. Schuler, l. l. S. 214 ſqq.

Huc ergo Zuinglius, qui facris fungeretur in aede facra maiori (*Groot Munster*), a Canonicis, penes quos vocandi erat ius, fuit vocatus (1519), quod ut fieret, maxime curavit Oswaldus Myconius (1). Perquam ei placuit hicce locus, propterea quod, cum in templo Divae Virginis Eremitanae non eadem femper esfet, coram qua dicendi occafio erat, concio, hic contra eosdem femper habuit auditores, quorum igitur animos eo melius fuis imbuere posfet ftudiis. Licet autem ipfi Tigurini alii alio modo de Zuinglio fentirent; horum tamen plurimi magna quaeque ab eo exfpectabant (2).

Amici, ei gratulantes, fimul ut eodem, quo inceperat, ardore in iis conftituendis pergeret, quae vera esfent atque utilia, fuere auctores (3). Ipfe Hugo, Conftantienfis Episcopus, quo tempore Samfon in Tiguri viciniam iter fuscipiebat, literas ad eum mifit, *quibus hortabatur, ut quod coeptum erat* (*contra papisticas indulgentias*) *fortiter exfequi pergeret; fe enim ei bona fide affuturum* (4). Animum etiam addidit proborum et eruditorum hominum applaufus (5). Simul autem inge-

(1) Vidd. literae hac de re vicisfim datae, ex Simmleri *Samml.* depromtae, apud Wirz, l. l. S. 147 fqq. cf. Felix Nüfcheler, *het leven van Zwingli*, p. 10.

(2) Bullingeri *Chron.* T. III. apud J. C. Hefs, l. l. S. 83.

(3) Cuius rei testes funt eorum epistolae, quas e Simmleri *Samml.* citat Wirz, l. l. S. 154 fqq. cf. Hottinger, l. l. T. VI. p. 28. 217. 264. T. VIII. p. 216. alibi.

(4) Zuinglii, *Resp. ad Valent. Comp.* Op. T. I. p. 230. *a.*

(5) Gerdes, l. l. p. 266.

genii animique, quibus gaudebat, facultatibus factum est, ut saepissime de variis et gravissimis quaestionibus consuleretur (1), illiusque auctoritas cresceret quam maxime, tam in aliis regionibus, quam in ipsa Helvetia (2). In eo praeterea laetandi etiam caussam habuit, quod Oecolampadius, ei amicissimus, Basileae idem aggressus opus, tanto animi ardore et constantia procedebat, atque eodem, quo ipse, spiritu tangebatur (3). E publicis porro, quae habebantur, disputationibus Zuinglius semper superior decessit; atque omnes omnino eius conatus tam felicem habuerunt successum, ut non posset non Deo maximas agere gratias.

Hisce igitur omnibus quam maxime est incitatus, ut consilium fortiter persequeretur. Qui autem suae sibi imbecillitatis conscius est, et nihil humani a se alienum putat, ille vires suas magis magisque explicare officium esse ducat, necesse est. Quocirca neque Zuinglius suas intermisit lucubrationes; sed sedulo evolvere perrexit Homerum, Theocritum, Hesiodum, Aristophanem, Demosthenem, Thucydidem, Platonem, Aristotelem. Sensit autem, quo melius in inter-

(1) Hottinger, l. l. T. VI. p. 316 sqq.

(2) Huius rei documenta affert quam plurima Hottingerus, l. l. T. VI. p. 323-636. Sic ipse Zuinglius ad B. Hallerum d. 4. Dec. 1521: *Scribunt ad nos Suevi, exigunt quotidie, quod ipse praestare nequeo, tametsi pro virili ipsis satisfaciam. Scribunt ex Helvetiis ferme omnes, qui propter Christum premuntur. Epp. Zuingl. et Oecol.* p. 39. *b.*

(3) *Ep.* Joh. Oecolampadii *ad* Huld. Zuinglium, praem. suae *Respons. ad conf. Lutheri. Op. Zuingl.* T. II. p. 478. *b.*

terpretando Cod. S. versaretur, sibi opus esse Hebraicae linguae cognitione: quo factum, ut summam hisce etiam literis navaret operam (1).

§ V.

De agendi ratione Romani Pontificis erga Zuinglium.

Ita Zuinglius Ecclesiae Reformationem instituit, vehementius acturus, siquidem vehementius sese opponeret Pontifex Romanus, placidius vero, siquidem is placidiore erga eum usurus esset ratione. Operae igitur pretium videtur hanc in rem paucis inquirere.

Pontifex Romanus cum Luthero egit severius, mitius et liberalius cum Zuinglio. Hic enim quum Glaronae adhuc versaretur (1506-1516), et praeclara ubique eius divulgaretur fama, Leoni X dignus videbatur, qui suo favore uteretur, quocirca ille ei tradi curavit annuum *f* 50 subsidium, ut librorum sibi compararet supellectilem (2). Postea vero, ubi sese Samsoni iam opposuerat (1518) Accolytus Capellanus Sanctae Sedis declaratus est, ut scilicet *vir eiusmodi ingenio praeditus aestimaretur, ipse vero, ut a bonis ad meliora procederet, excitaretur* (3). De-

(1) Myconius in vita. Hottingerus, l. l. T. VI. p. 197.

(2) Subsidium hocce Zuinglius deinceps recusavit. Zuingl. *de casta et intem. Virg. Maria.* Op. T. I. p. 341. *b.* Cf. Usteri et Vögelin, *Jahrt.* S. 24. Nüscheler, l. l. p. 26.

(3) Hottingerus, l. l. T. VI. p. 274 sqq.

Deinde Tigurum profectus, *Breve*, ut vocant, Pontificis accepit, sic sese habens:

Adrianus Papa Sextus.

„ Dilecte fili, salutem, et Apostolicam benedictio-
„ nem. Remittimus venerabilem fratrem Ennium,
„ Episcopum Verulanum, Praelatum domesticum nos-
„ trum, et Apostolicae sedis Nuntium, hominem
„ prudentia et fide praestantem, ad istam invictam,
„ nobisque et huic Sanctae Sedi coniunctissimam na-
„ tionem, ut se maximis rebus nos, et eandem Se-
„ dem, totamque Christianam Rempublicam, con-
„ cernentibus cum illa agat. Licet autem ei dederi-
„ mus in mandatis, ut ea communiter cum omnibus
„ et publice tractet: tamen cum de tua egregia virtute
„ specialiter nobis sit cognitum, nosque devotionem
„ tuam arctius amemus ac diligamus, ac peculiarem
„ quandam in te fidem habeamus, mandavimus eidem
„ Episcopo, Nuntio nostro, ut tibi separatim nos-
„ tras literas redderet, nostramque erga te optimam
„ voluntatem declararet. Hortamur itaque devotio-
„ nem tuam in Domino, ut et illi omnem fidem ha-
„ beas; et quo nos animo ad honores tuos et com-
„ moda tendimus, eodem tu in nostris, et dictae Se-
„ dis Apostolicae rebus procedas. De quo gratiam
„ apud nos invenies non mediocrem. Datum Romae
„ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 23
„ Ianuarii 1523, Pontif. nostri anno primo" (1).

Ne-

(1) „ *Non ad ipsum solum tunc scripserat Pontifex; sed etiam ad* Franciscum Zinggium, *ut sibi et Sedi Apostolicae virum lucrificaret. Ex quo cum Myconius quaesiisset: ecquid pollicitus pro illo Papa esset? serio respondit: omnia certe, praeter Sedem Papalem.*" Hottinger, l. l. T. VI.

Neque etiam Zuinglio instituenti, quae Pontificis auctoritati plane erant opposita, eandem Clerus Romanus intulit iniuriam, qua afficiebatur Lutherus. Cuius rei quo rectius caussas intelligamus, observandum est, *primum* Zuinglium initio prudentiori via in singulis processisse, prouti seq. Cap. notabimus; — *deinde* eum, licet universe Helvetiorum studium, bellis caeterarum gentium sese immiscendi, reprehenderet, imprimis tamen sese opposuisse Franco-Gallorum largitionibus, in Reipublicae perniciem ducentibus: Franco-Gallos autem eo tempore cum Imperatore et Pontifice bellum gessisse; — *porro* eum sibi fautores et amicos comparasse maxime nobiles, eumque ob eximiam doctrinae copiam summa ubique gavisum esse auctoritate; — *denique* Pontificem, ne Helvetios foederatos, quorum ope indigebat, offenderet, valde timuisse: Zuinglium autem, magnae illius in Helvetia commutationis auctorem, omnia egisse eorum auctoritate, qui Tigurinae praeërant civitati (1). Sic nulla contra Zuinglium publica specialiter instituerunt molimina.

§ VI.

Rebus adversis non succubuit Zuinglius.

Zuinglius, cum periculosam hancce susciperet actionem, se de gloria et benivolentia civium, atque de vita ipsa in discrimen vocari exspectavit. Licet autem

VI. p. 233. Myconius in vita. Bullinger, apud Wirz, l. l. T. V. S. 12 sqq.

(1) Cum hisce conferenda sunt, quae notarunt Schuler, l. l. S. 188 sq. et J. C. Hess, l. l. S. 65.

tem honesta ratione tempestati subvenire sapientis esse duceret: vel sic tamen nunquam omnino imbellis et periculi timidus in fugam se coniecit. „ Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, praecipere cogitatione futura, et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem, et quid agendum sit, cum quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum sit, non putaram" (1). Talem sane sese praestitisse Zuinglium, rarum virum prudentia et constantia, documenta nobis sunt illustria datae ab eo ad amicos literae (2).

Scilicet Zuinglium iam antea multorum in se contraxisse inimicorum odium, § II. vidimus. Eorum autem numerus, qui magna saepe vi eum adorti sunt, deinceps magis magisque increvit. Qua de re nonnulla notare lubet. Calumniari eum et vexare pergebant *pensionarii* caeterique politicis rebus indulgentes. Quo tempore enim novus eligendus erat Germanornm Imperator, Helvetiis, ut sese istis rebus immiscerent, dissuadebat. Quanta autem vi et furore procedere solent

(1) Sunt verba Ciceronis, *de Offic.* l. 1. c. 22.

(2) „ *Nolim vos ignorare, nullum esse calamitatis genus, nullam periculorum speciem, nullum denique incommodum aut infortunium incidere posse, quod non ante diligenti et assidua animi consyderatione perpenderim. Scio equidem, vires meas non esse alicuius momenti aut precii: similiter quantae illorum vires sint et potentia, cum quibus mihi pugna est, non ignoro. Sed omnia possum (quemadmodum et Paulus de se ipso asserit) in Christo, qui mihi vires roburque suppeditat."* Zuinglius, in *Epist. ad fratres suos*, praem. *Serm. de casta, intemer., semperque Virg. Maria.* Op. T. I. p. 340. *b.*

lent factiones civiles, et quam libenter sese coniungerent cum dissidiis de Religione, vel patriae nostrae doceat saec. XVII. historia. Verum inter primarios, qui adversus Reformatorem se accingebant, omnium maxime censendi sunt illius in sacris ministrandis collegae. Mox eum *Capitulum*, quod dicitur, *Canonicorum* de novis rebus, minimeque Ecclesiae auctoritati consulentibus, accusavit, inque iudicium vocavit. Discordiae auctorem eum dixerunt, et, ut plebis ipse captaret gratiam, cuncta haec peragere affirmarunt (1). Acerbe quoque in eum invecti sunt Monachi, quorum tres in Tigurina urbe aderant familiae, Augustiniani, Franciscani, Dominicani. Hi autem eum coram Senatu accusarunt, quod eius sermonibus in contemtum ipsi adducerentur, ac rogarunt, ut Senatus istiusmodi ei sermones interdiceret, ne par pari reddere cogerentur (2). Neque inferioris tantum ordinis Clerici de illo conquesti sunt, verum qui antea eius cum Samsone agendi laudaverat rationem, nunc eum culpavit Hugo, Episcopus Constantiensis, cuius iurisdictioni ecclesiasticae suberant Tigurini. Senatum enim Tigurinum interpellavit, et cuiusmodi querelas audivisset de Zuinglio, qui novum doctrinae genus invexerit, ostendit. Deinde literas ille dedit ad Collegium Canonicorum, in quibus de novis doctoribus, qui Ecclesiam perturbarent, multa locutus est, atque ut ab illis diligenter sibi caverent, hortatus (3). Innumeras porro calumnias in Zuin-

(1) Wirz, l. l. T. VI. S. 176 sqq. cf. S. 238-257.
(2) Bullinger, *Chron.* apud Scultetum a. a. 1522. p. 101.
(3) Sleidanus, l. l. L. III. p. 65 sq. Wirz, l. l. S. 221 sqq.

Zuinglium acervatim congesserunt quam plurimi. Fuerunt, qui dicerent, eum docuisse Iacobum pro nobis passum fuisse: alii, qui sacramentorum hostem et violatorem eum clamitarent (1). „ Cum veritatis authoritate (ita ipse scribit Zuinglius) et testimoniis destituantur, ad mendaciorum commenta et calumnias sese convertunt, quas non in hac tantummodo re, verum etiam infinitis aliis obtrudere student. Olim enim me divae Virginis Mariae Deiparae blasphemum contemptorem esse praedicarunt. – Ad haec me census et decimas negare falso commenti sunt. Item mulieri gravidae permissum esse, ut adultera facta cum alio viro, quem appetitus concupiscentia suadet, congrediatur, me docuisse tradiderunt. Quantam vero mihi in sacrosancti corporis et sanguinis Iesu Christi sacramenti doctrina calumniam impegerint, quam horrendam et atrocem blasphemiam obiecerint, publicis scriptis committere non ausim, ne forte simpliciorum rudes animi ea offendantur. – Neque interim de vita et moribus loquentes modestiores sunt, quin non minus etiam hic, quam alibi, suae maledicentiae permittunt. Sunt enim, qui me hoc ipso anno quatuor liberos illegitimo thoro natos genuisse dicant. Sunt, qui

sqq. *Sed quibus de causis rerum vices mutatae sint, non novi. Qui enim primo currentem me crebris hortationibus incitabant, hi ipsi paulo post nulla responsione, et nullis litteris me dignati sunt, nisi quod publice et in genere quaedam ab illis vulgata sunt et conscripta, quae tamen prioribus istis consiliis tam similia esse videbantur, quam musca elephanto est.* Zuingl. *Valent. Comp.* Op. T. I. p. 230.

(1) Zuinglius, *ad Commun. Helvetiorum civit.* Op. T. I. p. 153. *b.* 154. *a.*

qui noctu per plateas canentem et aliis muficis inftrumentis ludentem discurrere asferant. Sunt, qui aleae plus nimio deditum, et publicum fcortatorem una cum reliquis lenonum postibula frequentare tradant. Sunt rurfus, qui principum muneribus corruptum omnia turbare iactitent. – Indignum et turpisfimum foret, fi tanta urbs antiquitus ornata laudibus et vere Christiana fide infignis, vel fcurram aliquam, nedum Verbi divini et Ecclefiae Antistitem, tot ac tantis infamem vitiis, diutius ferret" (1). Cui ipfius Zuinglii testimonio calculum item adiicit Myconius, qui refert, varias ei ftructas fuisfe infidias, ut neque diu nec noctu corpus adverfus pericula tutum esfe videretur. Quam ob caufam Senatus faepe noctu militum vigilia eum metu vacuum reddere cogebatur (2). Sic aliquando ab amico quodam, forte fortuna hac de re certior facto, ne panem a pistoribus emeret, fuit admonitus: cum magna veneficii esfet fuspicio (3).

Haec quidem a privatis hominibus, nifi forte ab aliis excitatis, funt inftituta. Verum caeterae illae Civitates, quae Pontifici Romano quam maxime addictae

(1) Zuinglius, in *Apol.* Op. T. I. p. 148. alibi. cff. Epift. Myconii (Wirz, l. l. S. 170.) Cervini (Id. S. 485. cf. Schuler, l. l. S. 169.), Stapferi (Id. S. 326 fqq.), Zuickii (Id. S. 332. *Epp. Oecolamp. et Zuingl.* p. 175), aliae. Sleidan. l. l. L. IV. p. 85.

(2) Myconius in vita. Thomas Plater, in fui ipfius *vitae defcriptione*, *Misc. Tig.* III. 262. apud J. Hefs, l. l. S. 59. Stäheli, apud Wirz, l. l. S. 334. Hottinger, l. l. T. VIII. p. 275 fqq.

(3) Ruchat, l. l. T. I. p. 137 fq. Hottinger, l. l. T. VI. p. 236.

tae erant, illud tentarunt, ut Zuinglius, quo facilius in eorum manus veniret, sese tandem aliquando extra civitatem Tigurinam conferret. Quod ut fieret, disputationem, quae dicitur, Badenae publice habendam indicarunt, eumque, ut cum Eckio de rebus sacris disputaret, invocarunt. At vero eorum consilia, licet dolose structa, civitatis Tigurinae Moderatoribus innotuerunt, quapropter prohibuerunt, Zuinglium eo proficisci (1).

Quae quidem omnes illi a Pontificiis illatae sunt iniuriae; nec vero minus ex ipsa, quae Protestantium iam prodiit, Societate nonnulli exstiterunt viri, e quorum agendi ratione dolorem percepit haud vulgarem. Quales fuerunt Anabaptistae, et summus ille, quem magnopere coluit, Lutherus. Quod vero ad *Anabaptistas* attinet, hi e Germania oriundi, ad Helvetiam quoque, ipsamque urbem Tigurinam transierunt. Grebelium ibi, Manzum, et Hubmeyerum auctores maxime nacti sunt. Clamitarunt autem: *Reformationem angustam nimis esse et exilem, non satis spiritualem, altam et perfectam; tempus nunc esse et Spiritum urgere, ut res maiori studio agantur, alioqui nullam spem salutis, eumque in finem separationem plenariam ab aliis civibus necessariam, ut colligatur pura Ecclesia genuinorum Dei filiorum, qui praediti sint Spiritu Dei et ab ipso regantur.* Adultos iterata sacra lavatione esse initiandos, praeterea Christianos magistratu non indigere, praedicarunt. Fanatico quodam furore ducti sunt, et per plateas Tigu-

(1) Füsslin, *Beytr. zur Kirchen-Reform. Gesch.* T. III. S. 133. Bullinger, T. III. B. apud J. C. Hess, S. 224. sqq. Nüscheler, p. 102 sqq.

guri clamarunt ruentes: *vae Tiguro! vae Tiguro! Age poenitentiam, Tigurum! brevi interibis.* Hi igitur Zuinglium ad ſuas trahere conati ſunt partes; quocum negante Senatus inducti auctoritate tres inſtituerunt disputationes. Neque victi destiterunt. Cuiusvis autem civitatis fundamenta illi prorſus ſubruere videbantur. Quo factum est, ut duo ſectae duces iubente magistratu morti ſint traditi, alii ex urbe expulſi. Ex hisce autem rebus Zuinglius magnum percepit dolorem, qui ipſe ab istis hominibus calumniatus et male fuit habitus (1).

Accedimus ad Lutheri (pie dicam) in Zuinglium convitia; id quod valde dolemus. Hosce viros, laudibus nunquam ſatis cumulandos, in caeteris fere concordes, variam de coena Domini protuliſſe ſententiam, in vulgus notum est. Ut hoc ita esſet, nihilo minus Zuinglius, ſe Lutherum tanti aestimasſe, quanti mortalium nemo, ſaepe testatus est (2). Ille vero non eodem erga eum fuit animo, ſed ira ſaepe abreptus eum dixit haereticum, profanum; certe post colloquium Marpurgenſe fratrem eum appellare negavit (3). Hinc ergo Zuinglii ad Lutherum verba: „ te irae affectu correptum furere

et

(1) Bullingerus, *adverſ. Anabapt.* L. I. p. 10. Zuinglii *Epiſt.* praem. *Elencho contra Catabapt.* Op. T. II. p. 5. *b.* ſqq. Eiusdem *de Baptismo* liber. Op. T. II. p. 57. *a.* Füſslin, *Beytr.* T. I. S. 198 ſqq.

(2) *Explan. Artic.* Op. T. I. p. 38. *b.* alibi.

(3) Scultet, l. l. a. a. 1526. p. 38. J. C. Heſs, l. l. S. 256. Praeter alia Lutheri ſcripta, hac in cauſa inprimis legendus est liber, cui titulus: *Kurze Bekenntniſs* D. Martin Luthers *vom heiligen Sakrament.*

et insanire, non equidem negare poteris, si modo librum tuum, quem tu ipse conscripsisti, probe perlegeris. Tanta enim convitiorum copia et perversarum opinionum multitudo ex charitatis fonte et diligenti animi consyderatione vel praemeditato studio proficisci non potest" (1).

In unum Zuinglium omnis generis mala concurrere videbantur, quorum illud, quod iam memorandum est, tandem ei mortem affecit. Scilicet Tigurum inter et caeteras civitates ab aliquot iam inde annis cum politicas ob causas, tum propter Religionem, dissidia exstiterant. Mox autem quinque Civitates, Lucernensis, Uriensis, Suitensis, Untervallensis et Tugiana, foedus secum invicem inierunt, quo constituebant, avitam esse retinendam tuendamque Religionem. Formidinem hoc iniecit Tigurinis et Bernatibus, qui, quo vim vi repellerent, foedus secum invicem itidem contraxerunt. Coeperant autem illae hic illic reformatos vexare, quos profugos, suadente Zuinglio, libens in tutelam recepit civitas Tigurina. Hinc lites obortae sunt gravissimae, quae tandem bellum excitarunt. Verum illarum, quae neutris favebant partibus, Civitatum ope pax continuo composita est d. 25 Iun. 1529. At vero non diu post animi iterum commoti sunt. Tigurini igitur et Bernates, Zuinglio licet quam maxime dissuadente, locis omnibus occupatis atque claustris viarum, ne quid ad caeteras Civitates deveheretur alimenti, prohibuerunt. Interim quam plurimi in Zuinglium acriter invecti sunt, eumque belli auctorem, patriae

(1) Zuinglii *ad* Lutheri *librum*, de Sacramento, *responsio*. Op. T. II. p. 378.

triae pestem dixerunt. Itaque ille d. 26 Julii ad Senatum venit, atque, ut eum honorifice dimitterent, petiit: monita enim sua negligi dixit: in Senatu esse, qui Euangelii hostes, quinque Civitatum optimi essent amici: nihil boni se sperare posse. Perturbatus est Senatus. Ne autem ille in hacce rerum conditione Ecclesiam sibi relinqueret, supplicavit. Hisce precibus inductus Zuinglius promisit, se vel cum vitae periculo mansurum, dummodo Rempublicam bene curarent (1).

Quodsi vero inquiramus in animi, quem inter adversas has res Zuinglius prodidit, conditionem, audiamus ipsum. „Ego quod ad me attinet, dudum devotus exspecto omne malum ab omnibus, Ecclesiasticis dico et laicis: hoc unum Christum obtestans, ut masculo omnia pectore ferre donet, et me figulinum suum rumpat aut firmet, ut illi placidum sit" (2). — „ Religiosus animus ac Dei observans, haec omnia post habet, quae mundus comminatur, certus consilium Dei non aliter promoveri ac usu venturum esse, quam cum auriga longum iter emensus, instrumenta quidem multa aut deterit aut amittit, ad metam tamen, quae recepit, evehit. Nos instrumenta Dei sumus, horum credo nullum est, quod non atteratur, frangatur, aut fatigetur. Attamen coelestis auriga consilium, quod praecepit, hisce mediis ad finem perducit, utcunque nos

(1) Bullinger, l. l. T. III. IV. apud J. C. Hess, l. l. S. 239 sqq. Myconius, in vita. Gualtherus, in *Apologia pro Zuinglio*, praem. Zuingl. Op. T. I. Scultet, l. l. a. a. 1531. p. 346 sq.

(2) *Epist. ad* Myconium apud Scultet, l. l. a. a. 1520. p. 69.

nos frangimur et perimus mundo. Ne ergo nos laborum pigeat, efficiuntur istis, quae Deus constituit. Quorum si non liceat spectatores fieri, consideremus non aliud nobis contingere, quam iis, qui acie decernunt: hi enim ferme pulcherrimam pariunt labore victoriam, qui aut occumbunt, aut fabulam ipsam agunt, non spectant: Negant enim cuiquam id spectaculum esse datum, ut confligentes exercitus extra aleam viderit, quam uni Scipioni. Ne ergo pigeat, si laboribus et periculis obiicimur, quibus Christiana res est restituenda, si restitutam nunquam visuri sumus his oculis. Est, qui nos videt et pugnantes censet. Sunt, qui rebus restitutis gaudeant in terra, cum nos coelo fruemur" (1).

Haec hactenus; redeamus ad historiam. Quinque igitur Civitates quum maxima rerum inopia premerentur, clam conductis copiis, Tigurinorum praesidium prorsus inopinato aggressi sunt. Fama illa ad urbem delata, Tigurini procedunt perturbati. Secutus est inter postremos Zuinglius „ eques et armatus pro more gentis, ut bonus scilicet pastor, qui, a Senatu missus, suis in extremo periculo deesse nollet" (2). Postquam in loco Cappellensi advenerant, proelium ortum est. Tigurini hostibus vix resistunt. Cadunt alii, alii terga vertunt. Zuinglius vulnere inflicto oc-

(1) Zuinglius, in *Jeremiam*, C. XXXVIII. Op. T. II. p. 371. *b*. Cum praeclaro hocce loco cf. Zuinglii epistola in *Epp. Zuingl. et Oecolampad.* p. 76. in qua in Christum morientem et Apostolos, martyrio passos, respicit. — Non diu ante mortem pro concione verba faciens, *scio*, inquit, *scio, quid rei sit: ut ego tollar*.

(2) Seckendorf, l. l. L. III. § 7. n°. 3.

occumbit. Quae vero de ultimo eius fato accepimus, haec habe. „ Prostratus prementium multitudine, tertium se in pedes evexit: tandem cuspide sub mento transfixus, et in genua prolapsus dixit: *ecquid hoc infortunii? age, corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Iacuit vivens adhuc inter strata undique Tigurinorum cadavera, at manibus precantium more compositis ac in coelum fixis oculis, non clara quidem voce, sed leniter motis labiis oravit. Maxima autem hostilis exercitus parte Tigurinos persequente, quidam interea per prostratos grassantes, quoscunque semivivos invenissent, *de confessione papistica et divorum invocatione* compellarunt. Zuinglius itaque, ab iisdem interrogatus, moto capite abnuit, et, in coelum sublatis oculis, Dominum in coelis se invocare significavit. Tum quidam immani gladio irruit iugulumque penitus hausit. — Cadaver inventum, iudicio condemnatum, in quatuor partes dissectum et igni in cinerem fuit redactum" (1). Obiit Zuinglius d. 11 Oct. 1531, aet. 47.

§ VII.

Zuinglii *indoles*.

Ex hac igitur turba Zuinglius et colluvione discessit, atque ad divinum animorum concilium coetumque profectus est. Apud posteros autem magnam reliquit nominis celebritatem. De industria autem hic non possumus in eius inquirere indolem; non ferunt vi-

(1) Haec e relatione Adami in vita. cf. Ruchat, l. l. T. III. p. 399 sqq.

vires, non flagitat confilium. Pauca vero hic notanda funt.

Vitiis fane non immunis fuit, et multis fe deliquisfe modis faepe ipfe profesfus est. Attamen talis fuit animi ingeniique conditio, quali, qui Ecclefiae existeret Reformator, erat opus. „ Ingenio aptisfimo ad omnis disciplinas addiscendas, adiutus etiam bona corporis habitudine, ad exercendas maxime actuofas et ostendendas contemplatrices. Variis fe linguis inftruxerat, ac eruditione mutiplici" (1). Ingenii valebat acumine. Veri pulcrique fenfu erat praeditus. Animo gaudebat quamplurimum leni, ut inimici pariter atque amici eum faepe lacrymas viderint fundentem. Nonnunquam vero disputandi ardor bilem commovebat. In libera degens Republica libertatis ftudio ducebatur. Religionis erat et Patriae amantisfimus. Amicitiae gloria excellens. Quanta prudentia et fapientia! Quae propofiti tenacitas! Quae modestia, laboris asfiduitas, fortitudo et conftantia in mediis aerumnis et periculis! Quae munificentia et magnanimitas! Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus: fed intus domique praeftantior (2). Totus fe fuosque Deo, Patri benignisfimo, commifit. Christum, fanctisfimum hominem, imitari conatus est. Quodfi quaeramus, quibusnam maxime caufis ad emendanda Sacra inductus fuerit, nihil pravi et putidi eum incitasfe, intime perfua-

(1) Cardin. Pallavicini. Hist. Concil. Trident. I. 19. 1. apud Rotermund. *Leben Zwinglis* S. 11.

(2) — — *Si quid mihi deesfe doleat, non alius hic dolor est, quam quod egenis et pauperi multorum turbae minus, quam ipfe cupiam, posfim fuccurrere.* Zuinglius in *Ecclef.* Op. T. II. p. 47. *b.*

suasum mihi est. „ Quodsi quis (ita ipse hac de re loquitur) me vel cibi vel potus intemperantia, carnis concupiscentia et libidine, superbia et animi elatione quicquam peccare dixerit, non veto, quominus sic se habere credatis. Scio enim et non sine summo animi dolore sentio, me his aliisque huius generis esse obnoxium. Quodsi vero avaritiae et perfidiae me insimularint adversarii, et muneribus corruptum falsam doctrinam serere dixerint: nolite credere, fratres, nec unquam credetis, etiamsi summis obtestationibus, adeoque iureiurando, vobis fidem facere voluerint. — Hic enim unicus est laborum et studiorum meorum scopus, hic unus finis, ad quem tendimus, ut omnes homines, quantum gratiae et omnis boni thesaurum Dei Filius, qui ex Maria virgine natus et homo factus est, nobis obtulerit, intelligant, ut ad unum Deum Patrem per mortem et passionem Christi, Filii illius, omnes confugiant, ut illius doctrina solida et syncera producatur in medium, et humanis traditionibus sublatis, pura sit, inconfusa et integra" (1). Itaque veri imprimis studio incitatus, Dei Christique amore ductus, et misericordia erga homines commotus, Zuinglius videtur sensim sensimque eo processisse, ut Ecclesiae existeret Reformator. Istiusmodi enim vir, qui ab optimis educatus erat parentibus, qui doctis praeceptoribus erat institutus, qui vitam agebat inter liberos cives, atque rerum quibuscunque περιστασέσι ad agendum semper excitabatur, non potuit non una cum Luthero inter caeteros huius

(1) Zuinglius, in praef. praem. *Serm. de Maria Virgine.* Op. T. I. p. 341. *b.*


ius aevi homines eminere, et, qui Sacra Christiana emendaret, dignus esse.

Henricus Lupulus, quondam eius magister, huiusce modi in eum confecit epitaphium:

HeLVetIae ZuIngLI DoCtor PastorqVe CeLebrIs,
VnDena oCtobrIs pasIVs In aethra VoLat.
Cum grege commisso pugnans cum fertur in hostem,
Pro Patria, Christo, Religione, Fide,
Sic sua Scripturis testatus consona Sacris,
Dogmata, cum fuso sanguine firma probat.
Dumque viri famam combusto corpore functi
Obscurare poterat, promovet hostis atrox.
Nam qui clarus erat vivens, iam mortuus amplo
Clarior aeternum nomen in orbe tenet (1).

CAPUT SECUNDUM.

INSTITUTA A *ZUINGLIO* REFORMATIO.



Incidimus iam in operis, a Zuinglio instituti, mentionem; verum enim vero vix scimus, quomodo nos de tanta rerum copia optime expediamus. Ut igitur in explicanda Reformatione, a Zuinglio instituta, ordine procedamus, hac incedendum esse via videtur, ut pri-

(1) Ruchat, l. l. T. III. p. 417. Caeterum de indole Zuinglii cf. Schuler, l. l. S. 112. Planck, *Gesch. des Protest. Lehrbegr.* T. II. S. 255 sqq. Eandem indolem ex eius scriptis confecerunt Usteri et Vögelin, in libro *M. Huldr. Zuinglis Schrift. in Auszuge*, T. II. S. 551 sqq.

primum videamus de ratione, qua Zuinglius in emendandis Sacris processit, *deinde* operis successum attendamus.

§ I.

Zuinglius
suis amicos imbuit studiis.

Est haecce ingenii humani ratio, ut sua libens cum aliis communicet consilia, et eorundem studiorum participes illos reddat. Sic autem omne verum, pulcrum, bonum inter mortales propagari solet. Zuinglius igitur Glaronae quum adhuc esset, id inprimis sibi proposuit, ut iuvenes sibi quaereret bonis ingenii dotibus praeditos, quos disciplina et exemplo suo instituеret et formaret Literarum, Patriae ac Religionis amicos, et patronos futuros. In hisce maxime censendi sunt Ludovicus et Petrus e familia Tscudiana, et Aegidius, eorum frater, qui postea conscribendis rebus gestis nominis nactus est celebritatem; Valentinus, eorum consanguineus, Zuinglii deinceps in coetu Glaronensi successor; Jacobus Heerus; Fridolinus et Philippus Brunnerus; Franciscus Cervinus; Nicolaus Balingus, et Taureolus. Magna in efformandos horum discipulorum animos magistri fuit vis et efficacitas, quem ad vitae usque finem quisque quam maxime coluit (1). Hi igitur ad Zuinglii sentiendi agendique rationem conformati, postquam munera in Republica obierant, se-

(1) Quod eorum testari possunt epistolae, quas vide in Simmleri *Samml.* VIII. III. Hottinger., l. l. T. VI. p. 379. cf. Wirz, l. l. T. IV. S. 136 sq.

sese eius in emendandis Sacris praebuerunt adiutores. Sed Tiguri, sacro munere fungens, instituere perrexit optimae spei iuvenes, in quibus recensetur Andreas frater (1).

Verum enim vero omnium societatum (uti recte dicit Cicero) nulla praestantior, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. In quibus enim eadem studia sunt, eaedem voluntates, in his fit, ut aeque quisque altero delectetur, ac se ipso, efficiturque, ut unus fiat ex pluribus. Diximus iam de iis, quibuscum Zuinglius Glaronae et in Monasterio Eremitano arcte fuit coniunctus. Ut autem hic illis ingenii facultatibus et doctrinae copia praestabat, ita in omni re eorum fuit dux et antesignanus. Neque amicos absentes neglexit; sed literae, quas mutuo dederunt, in communem convertebantur utilitatem. Quanti autem omnes eum aestimarint, et quam vim in illos exseruerit, exemplis probari potest, quorum unum alterumve hic adducere lubet.

„Zuinglius ad B. Hallerum, Bernensium „Antistitem.

„Petivisti iam aliquoties de fide et de cultu Sancto„rum sermones ad te transmitti; quod ideo non prae„stamus, quia calamo nunquam excepimus. — Tu „interea quod a me requiris, ipse strenue exequere, „ut ursi tui ferociusculi, audita Christi doctrina, „mansuescere incipiant; quod negotium summa leni„tate adgrediendum puto. Nec enim apud tuos sic „agere convenit, ut apud nostros: tuorum enim au„res etiamnum teneriores cum sint, non sunt proti-

„nus

(1) Hic vero non diu post morbo correptus periit. Usteri et Vögelin, *Jahrt.* S. 20.

„ nus tam mordici vero rodendae, quod et Christum
„ fenfisfe puto, quum vetuit margaritas ante porcos
„ disfipari" (1).

„ Zuinglius ad Myconium fuum.

„ Angit animum tuum expectatio nostrorum tem-
„ porum, quibus omnia furfum deorfumque moven-
„ tur, omnia miscentur, ita ut nativam faciem nulli-
„ us fit agnoscere. – Quo igitur modo huic rei con-
„ fulendum erit, inquis? Christum audi: finite utra-
„ que crescere, inquientem, usque ad tempus mes-
„ fis, caet. – Et cum tanquam obiiciens inquis: quid
„ docebimus nostrae fidei commisfos, cum videmus
„ inaniter operam ludi, nullis aut paucisfimis Euan-
„ gelio vel doctrinae apostolicae parentibus? Tan-
„ to inquam enixius tibi laborandum est, ut hoc pre-
„ ciofum margaritum – quam plurimis potest, os-
„ tendas, ut eius amore capti, divenditis omnibus,
„ illud comparent. – Docebis itaque tuos femper
„ Christum. – Vide, Frater, qua via posfis fperare
„ ovem Christi te esfe, ea nimirum, fi tibi pro Chris-
„ ti gloria nihil non pacienti, inproba luporum gens
„ mortem intentet, fi dentibus frendant, unguibus
„ lacerent" (2).

Et fic in caeteris, quibus faepenumero gravisfima expofuit Religionis Christianae placita cum theoretica, tum practica.

Quo magis autem coetus Tigurini commodis inferviret, duos fibi Zuinglius adfcivit in facro munere focios, Capellanos vulgo dictos, Georgium fcilicet Stähelin, dictum Chalybaeolum, et Hen-

(1) *Epp. Zuingl. et Oecolamp.* p. 190.
(2) *Epp. Zuingl. et Oecolamp.* p. 174.

Henricum Luthium, quos domo et mensae suae adhibuit, et ita instituit, ut Sacris emendandis quam maxime prodessent (1).

Sic ex uno hoc fonte quam plurimi hauserunt in communem hominum utilitatem.

§ II.

Zuinglius *sacro fungens munere effecit, ut suas partes sequerentur laici.*

Nec vero unice inter amicos virosque doctos eo valuit Zuinglius, sed in eo imprimis suam navavit operam, ut laicos rectius, quam caeteri clerici consueverant, institueret. Nec frustra hac in re laboravit. Institutio enim popularis bene constituta ad pellendam ignorantiam et praeiudicatas opiniones, ad tollendam superstionem, ad emendandos mores, etiamsi initio fructus vix cernere liceat, magnopere valere solet.

Zuinglius, ubi doctrinae Christianae interpres erat Glareanus (sive Glaronensis), Christi exemplum secutus, adversus vitia quaecunque conflixit, maxime adversus *pensiones*. Patriam enim ad pristinam simplicitatem et felicitatem adducere in votis habuit. In-

(1) Myconius, in vita. *Misc. Tig.* T. II. p. 681. T. III. p. 344. Gerdes, l. l. p. 264. Quum disputatio Badensis haberetur, nec Zuinglius ibi adesset, is tamen magnas suis epistolis partes egit, quibus respondebat amicorum quaestionibus. Hi enim cuncta ei cognita reddiderunt. Vid. *Misc. Tig.* T. III. p. 261. Cf. S. Hess, l. l. S. 72.

Interea placitum de χάριτι ἐν Χριστῷ ita semper propofuit, ut Ecclefiae Romanae de hocce errores vix ac ne vix quidem commemoraret. „ Volebat enim veritatem cognitam in cordibus auditorum agere fuum officium. Nam veris perceptis et intellectis, haud difficulter falfa cognoscimus. Quamvis nec per tempus tum licuerit aliter. Prius enim veritas in tanta hominum protervitate et malitia paenitus fuisfet amisfa, quam abufus Religionis fublatus" (1). Postea autem cum Tigurinus iam Antistes coram Glareanis aliquando oratione haberet facram, antea fe eos plura docuisfe, quae deinceps errores esfe deprehenderat, profesfus est, eosque admonuit, ut libris unice adhaererent facris (2).

At Zuinglius ad Monasterium Eremitanum profectus, opportunum iam adesfe tempus autumavit, diferte magis quaedam Ecclefiae Romanae placita reprehendendi, quippe in S. Cod. non fundata. Quo tempore igitur Christiani Angelorum festum celebrabant, in iis periclitanda esfe fibi duxit, quae valerent, ut folennis diei inftitutionem, et rectam Deum Sanctosque colendi rationem melius intelligerent homines. Docuit, Deum ubique esfe praefentem, nec proprium fibi vindicare locum, quo preces fufae ei magis esfent gratae acceptaeque; Deum vero adorandum esfe ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ; neque hanc esfe Religionis indolem, ut expeditiones quascunque facras fuscipe- rent; verum eam, ut pravis obfisterent libidinibus, ut

(1) Sunt verba Myconii, in vita. *Fragmentum orationis facrae*, *Glaronae habitae*, videas apud Schuler, l.l. S. 123 fq.

(2) Usteri et Vögelin, *Jahrt.* S. 32.

ut miseris succurrerent, ut quae vel plura Christus hominibus iniunxerat, praestarent humanitatis officia; deinde Mariam, Iesu matrem, non pravorum esse patronam, sed pios placere Deo; Sanctos porro non precibus esse colendos votisque, sed virtutis, quod dederunt, imitando exemplo; denique Christum esse unicum hominum Conservatorem (1). Verumtamen imprimis postquam innotuerat, Samsonem in Helvetia indulgentias nundinare, placitum hocce de modo, quo homines cum Deo reconciliantur, uberius exposuit, et animo maxime commoto ursit (2). Quid autem primis quatuor annis Tigurinos docuit, ipse narrat. „ Anno abhinc (1522) quarto solidum Euangelium secundum Matthaeum praedicavi, quo tempore illorum nomina ne nominari quidem audieram, quorum factionis me insimulatis. Adiunxi Euangelio protinus Apostolorum acta, ut Tigurina Ecclesia videret, quo pacto, quibusve authoribus Euangelium propagatum esset ac promulgatum. Successit mox prior Pauli ad Timotheum epistola, quod mire videretur conducere optimo gregi. In ea enim veluti canones quidam morum Christiano dignorum continentur. Hic quum de fide quidam scioli non recte sentirent, secundam epistolam ad Timotheum distuli, donec eam, quae Gallograecis scripta est, enarrassem, tum illam quoque adiunxi. Cumque iam dicti scioli eo insaniae ac impietatis processissent, ut Pauli no-

(1) *Huius sermonis fragmentum* ex Bullingero, T. III. descripsit J. C. Hess, l. l. S. 61.

(2) Ruchat, l. l. T. I. p. 44 sqq. Wirz, l. l. T. IV. S. 146.

nomen tantum non infame redderent, iactantes haec pia scilicet, quae neminem offendunt, quis tandem Paulus? nonne homo est? Apostolus est, sed suburbanus tantum, non ex duodecim viris, cum Christo non est conversatus, articulum fidei non composuit, ego tam cuivis Thomae vel Scoto credo quam Paulo. Enarravi etiam Petri utramque epistolam Apostolorum antesignani, ut liquido viderent, an eodem imbuti spiritu eadem ambo locuti essent. His absolutis, epistolam ad Hebraeos orsus sum, ut Christi beneficium clarius agnoscerent ac gloriam. Hic discent Christum summum esse sacerdotem, ac iam ferme didicerunt. Nec est, ut me quorundam scriptorum insimuletis. Nam antequam ea ad manus nostras venerint, orsi eramus negotium, imo ante annum fere polliciti sumus id facturum. Discent item Christum una ac semel tantum oblata hostia in aeternum consummasse sanctificatos. Haec plantavimus, Matthaeus, Lucas, Paulus, Petrus rigaverunt, Deus autem incrementum dedit admirabile; quod ipse non ebuccinabo, ne videar meam, non Christi gloriam obire" (1).

Haec hactenus. Anno autem 1520 ad finem vergente, quovis die Veneris, Psalmos praelegere incepit eorum maxime in gratiam, qui rure in urbem mercatum venirent (2). In orationibus suis Zuinglius sese componere studuit ad Christi et Apostolorum exemplum. Temporum hominumque rationem habuit. Longam eamque aridam loci cuiusdam interpretationem non curavit; at id maxime sibi voluit, ut ip-

(1) Zuinglius, *Archet.* Op. T. I. p. 132. *b.*
(2) *Epp. Zuingl. et Oecolamp.* p. 174. *b.*

ipsam Religionis Christianae indolem auditores haberent cognitam, eamque verbis factisque palam facerent. Sacrum Codicem unicam credendi posuit ac vivendi normam. Magistratum admonuit maxime, ut sentiendi agendique libertatem tuerentur, ut iustum colerent atque aequum, ut viduarum orborumque curam gererent, ut Patriae commodis inservirent. Mira pollebat dicendi vi, summa utebatur in dicendo gravitate. Pectus erat, quod disertum eum fecit (1).

Hoc fere pacto omnes intendit vires, ut homines institueret, moresque emendaret: neque in publica tantum institutione id egit, verum in vitae etiam consuetudine idem semper sibi proposuit. Ad unius cuiusque sese accommodavit ingenium; quorumcumque fiducia gavisus est; magna quadam comitate docuit; afflictos humaniter consolatus est; opem tulit omnibus nullo habito discrimine (2). Sic persuadendo, e Religionis Christianae indole, hominum animos ad Sacrorum Emendationem praeparavit.

§ III.

Zuinglius, *ut sacra emendarent, superioris ordinis Clericos adiit.*

Reformator ille non suam quaesivit gloriam, nec propria sua auctoritate opus est aggressus; sed quatenus ius ferret et aequum, se superioribus sibi modeste submisit; qui ut manus ipsi tandem rei admove-

(1) S. Hess, l. l. S. 68, ubi *fragmentum* videas *orationis*, *quam coram Tigurinis habuit.*
(2) J. C. Hess, l. l. S. 260 sq.

verent, enixe precatus est; quin etiam ab ipso Pontifice Romano Reformationem exspectavit. Ita enim in Sacris emendandis processit, ut non tantum laicos docere et rectius instituere coeperit, simul vero iis usus sit subsidiis, quibus suam, quam ageret, caussam efficacius promoveret. Quid mirum eum superioris ordinis Clericos adiisse, ut eorum imploraret opem?

Qualem cum Geroldseggio contraxerit amicitiam, antea vidimus, ut adeo facilius sit intellectu, hunc sponte sua reformandi conamina instituisse. Scilicet lapidem amovere iussit, quae supra porta erat posita, et cui haec inerat inscriptio: *plenaria indulgentia.* Praeterea Sanctorum ossa sepeliri curavit. Zuinglium vero et Oechslinum ad monasterium misit Virginum, Fahr dictum, qui a consueto cantu sibi abstinendum, et S. Codicem Germanica lingua legendum esse, virgines admonerent, et cuicunque volenti concederent nubendi potestatem (1). Deinde vero Cardinalem Sedunensem, Episcopum Constantiensem, et Legatum Pontificis supplex Zuinglius adiit, quod ipse his verbis memoravit. „ Priusquam aliquod in fidei et Religionis negotio dissidium exortum est, ipse iam ante non semel cum praecipuis aliquot Ecclesiae proceribus, Cardinalibus, et Episcopis conferre coepi, et de traditionum humanarum erroribus disputare, simulque monui, ut abusuum, errorumque copiam paulatim tollere aggrediantur: hoc enim nisi fiat, illos aliquando nimio pondere nutantes maiori cum tumultu et fragore casuros esse. Cum enim ante annos octo adhuc in Mariae Helvetiorum Ere-

(1) Hottingerus, l. l. T. VI. p. 368.

Eremo versarer, de his cum Matthaeo, Cardinali Sedunensi, collocutus sum; cumque iam Tiguri habitare coepissem, saepenumero apertis clarisque verbis testatus sum, Papatum omnem frivolo et brevi ruituro fundamento inniti; idque solidissimis Scripturarum locis semper comprobavi. — — Post haec publice (1) simul et privatim supplicationibus debita reverentia et modestia conscriptis Episcopi [Hugonis] animum sollicitare coepi, quibus hoc unum semper monui, et vehementissime hortatus sum, ut Euangelicae veritati consentire dignaretur, quam tanto cum successu emergere videret, ut nullis consiliis et viribus impediri posset: simul et hoc monens, ut nobilissimae Landenbergiorum familiae hanc laudem et gloriam ceu propriam vendicet, ut ex se primum Episcopum prodiisse gloriari possit, qui Euangelii praedicationem liberam in sua dioecesi permiserat. — Antonius Puccius Romani Pontificis Legatus quater de hisce rebus non sine splendidis pollicitationibus mecum contulit, cui libere hoc ipsum, quod omnino faciendum erat, exposui, simul et hoc addens me post hac divina favente gratia Euangelii praedicationem aggressurum, qua Papatus non parva ex parte concutiendus et debilitandus sit etc. Quibus tamen admonitionibus non quicquam effectum" (2).

§ IV.

(1) Ita exstat *Supplicatio quorumdam apud Helvetios Euangelistarum ad v. d. Hugonem, Episcopum Constantiensem*, „ne se induci patiatur, ut quicquam in praeiudicium Euangelii promulget, neve scortationis scandalum ultra ferat, sed presbyteris uxores ducere permittat, aut saltem ad eorum nuptias conniveat." Op. T. I. p. 120 sqq.

(2) Zuinglii, *Resp. ad Valent. Comp.* p. 230.

§ IV.

Disputationes publicae Reformationem promoverunt.

Ita tandem omnia erant comparata, ut non posset non magna existere rerum commutatio. Itaque ne quid privata videretur instituì auctoritate, ii vero, qui Pontifici Romano etiamnunc addicti erant, sententiam suam tuendi et vindicandi opportunitatem haberent, publicam Senatus Tigurinus decrevit de praecipuis Religionis placitis disputationem, in urbe habendam; sin autem quis in arenam descenderet, ne, praeter effata S. Codicis, aliis uteretur argumentis, constituit (1).

Zuinglius, ut in disputando rite procederet, 67 theses sive articulos publice exhibuit, et omnes, qui d. 29 Ian. 1523 ingenti numero Tiguri aderant, inter quos Faber, Episcopi Constantiensis Vicarius, invitavit, ut cum eo de hisce disputarent. Faber autem non esse illius loci hocce certamen, sed ad concilium, quod brevi instabat, referendum, affirmavit. Urgente tamen Zuinglio, si quid haberet, ut ne dissimularet, ille scripto eius articulos se refutaturum promisit. Postquam deinceps quaedam inter se verba commutaverant, cum ex omnibus nemo amplius in aciem prodiret, dimisso conventu, Senatus mandatum dedit, ut *traditionibus hominum omissis, Euangelium pure doceretur e V. ac N. T. libris* (2).

In-

(1) *Epp. Zuinglii et Oecolampadii*, p. 188. *b.* 209. *a.* Hottinger, l. l. T. VII. p. 627. Bullinger, in *prima ad Joh. Cochlaeum resp.* c. 29.

(2) *Acta Disput. I.* Op. *Zuingl.* T. I. p. 607. *b.* sqq.

Quisque enim novarum rerum cupidine ductus, sponte illa sibi legenda sumebat. Cui vero Religionis caussa curae erat, is illis pervolvendis libens indulgebat. Quod eo magis promovebatur, cum artis typographicae ope ubique spargerentur. Quamvis vero omnia festinanter sint conscripta, vel sic tamen cum argumentorum, quae continent, gravitate, tum scribendi ratione simplici, dilucida, eleganti (1), ita sunt comparata, ut quicunque in ea inciderit, non posset non hisce suum adiicere calculum.

Varii argumenti libros Zuinglius confecit. Sunt enim (praeter *epistolas*) *didascalica* et *paraenetica*, *polemica*, *exegetica*. Quos omnes recensere non possumus; e prioribus autem, quae diximus, quaeque nostram potissimum in caussam valent, imprimis notandi videntur:

De delectu et libero ciborum esu, de offendiculo item et scandalo liber.

Pia et amica paraenesis ad vetustissimam Suitensium rempublicam, ut principum amicitias et insidiosa alienigenarum munera caveat.

Amica et pia paraenesis, ad communem Helvetiorum civitatem scripta: ne euangelicae doctrinae cursum impediant, nec licitis sacerdotum connubiis sese offendi patiantur.

De certitudine et claritate verbi Dei liber unus.

De Providentia Dei.

De

(1) Observandum est, plurima Zuinglii scripta sive a Leone Juda, sive a Gualthero in *linguam Latinam esse conversa.*

De casta, intemerata, semperque virgine Maria, Matre I. C. Redemptoris nostri, sermo.

Opus Articulorum sive Conclusionum.

De duplici iustitia divina et humana.

De canone Missae epichiresis.

Brevis et christiana in euangelicam doctrinam Isagoge, scripta per H. Zuinglium, et a prudent. Tig. civit. Senatu cunctis Ecclesiarum tam in agro, quam in urbe ministris exhibita, ut ea instructi euangelicam veritatem pure et synceriter praedicare possint.

Pastor, quo docetur, quibus notis veri pastores a falsis discerni possint, et quid de utrisque sit statuendum.

Christiana et orthodoxa prudentiss. Tigurinorum Cos. totiusque Senatus responsio ad Rever. Dom. Hugonem, Const. Episc., de Idolis et Missa, e qua videre est, quid Christianos de his sentire deceat.

Responsio ad Valentinum Comparem, Archigrammateum Uraniensem, de Euangelio, Doctoribus vel Patrum authoritate, Imaginibus, et Purgatorio.

De coena Domini brevis institutio, in plebeiorum hominum usum conscripta.

Haec iam hactenus. Quod autem ad secundam librorum classem attinet, sunt hi adversus Catabaptistas, Lutherum, Eccium, Faberum, a Zuinglio conscripti, in quibus multa occurrunt ad Religionis Christianae indolem pertinentia, ac propterea minime negligenda. De interpretatione etiam tam V., quam N. Foederis optime Zuinglius fuit meritus, quemadmodum eius in plurimos S. Cod. libros testari possunt commentarii. Curavit autem, ut S. Codex in linguam verteretur Germanicam opera inprimis Leonis Iudae et Caspari Megandri (Grossmann);

mann); quae versio plane absoluta A°. 1529 iam exstabat (1).

Intelligimus iam ex hacce librorum serie Zuinglium non uno modo, sed variis illis argumentis tractandis, Sacrorum Emendationi non potuisse non prodesse. Quibuscunque enim Ecclesiae Romanae erroribus sese opposuit, et quae docet S. Codex, hominibus proposuit et commendavit. Namque non tantum universe quoscunque Ecclesiae Romanae errores adortus est, neque varia tantum Religionis divinae placita, in Cod. S. obvia, in systematis ordinem redegit, veluti in *Commentario de vera et falsa Religione*, in *Isagoge in euang. doctrinam*, aliisque in libris, sed in eo maxime suam collocavit operam, ut nonnulla placita, imprimis vitiata, pure et dilucide exponeret, et ab hominum commentis vindicaret. Ita v. c. peculiariter egit de vera Christiana libertate, de legendo S. Cod., de S. S. Librorum perspicuitate, de coena sacra, de discrimine virtutem inter et legalitatem, etc. Perquam autem esse necessarium, ut contra iniurias et calumnias suam tueretur causam, recte vidit: quam in rem valuerunt eius *Apologia*, *Responsio ad Valentinum Comparem*, aliaque eius scripta. Praeterea quorumvis hominum rationem habuit cum Clericorum et nobilium, tum imprimis etiam plebeiorum et incultorum. Ita enim in Clericorum conscripsit commodum *Isagogen* suam et *Pastorem*, quibus quid docere, et quae officia praestare deberent, probe possent cognoscere. Ita suae ad Civitatum Moderatores datae *paraeneses* eo tetenderunt, ut veram iis viam monstraret, qua cives ad

(1) Vid. Johann Leu apud S. Hess, l. l. S. 41. Ruchat, l. l. T. I. p. 297 sq.

ad pietatem et felicitatem adducerent. Populari autem sermone usus est in plebeiorum maxime gratiam. Illud vero imprimis conatus est, ut quisque de vulgo S. S. Libros adiret, unicum scilicet sanae doctrinae veraeque pietatis fontem. A quo inde tempore Reformatio suis fundamentis nixa et inconcussa stetisse censenda est (1).

§ VI.

Emendationis Sacrorum, a Zuinglio *institutae, successus.*

Vidimus, quomodo ad reformandam Ecclesiam accesserit Zuinglius, qua ratione in his sensim fuerit progressus; iam quid valuerint illi conatus, investigemus. Quod quo rectius fiat, *primum* contemplari lubet coetus Tigurini conditionem, *deinde* vero caeteras, postea memorandas, attendere ecclesias.

Tigurinorum autem civitas non perturbate nec praemature, sed provido admodum consilio Reformationem hancce suscepit. Laetum rei successum iam sub finem anni 1519 augurabatur eorum, qui meliora sibi quaerebant, numerus, quem eo tempore ad bis mille increvisse docemur e quadam Zuinglii epistola, pridie Calendas Ianuarii data (2). Mire quidem hisce

(1) Series scriptorum, a Zuinglio editorum vid. apud Rotermund, l. l. S. 237 sqq. In ordinem ea redegerunt Usteri et Vögelin in opere saepe laud. *Zwinglis sämmtl. Schrift. im Auszuge*, T. I. S. 93 sqq. E praecipuis argumenta dedit Usteri *im litt. hist. Anhang ad* J. C. Hefs, *Lebensb. M. U. Zuinglis*; quae ita repetere non lubet.

(2) Gerdes, l. l. p. 263.

ce initiis favebat Magistratus: ex archivis enim Tigurinae Ecclesiae nos docet Scultetus, *Senatum de consilio* Zuinglii *A°.* 1520. *omnibus ditionis suae concionatoribus mandasse: ut, missis hominum commentis, libere doceant, quidquid autoritate Propheticarum et Apostolicarum literarum adstrui possit* (1). Hisce igitur constitutis, Tigurini sensim processerunt. Civitatis autem Moderatores antiquam rerum conditionem non commutandam esse rati sunt, nisi ipsius ante plebis cognovissent desiderium (2). Postquam autem plurimi iam promiscuum sibi fecerant carnis esum diebus prohibitis (3), et nonnulli iam Antistites, inter quos ipse Zuinglius, uxores duxerant: res eo iam videbatur pervenisse, ut coetus Tigurinus a Pontificiorum so-

(1) Scultet, l. l. a. a. 1520. p. 68. cf. Ruchat, l. l. T. I. p. 72. Füfslin, *Beytr.* T. II. S. 27. Quod cum ita sit, et Bullingerus quoque sua confirmaverit auctoritate, nescio, cur illud in dubium vocarint Usteri et Vögelin, *Jahrt.* S. 23.

(2) Zuinglius — *homo liber, et in libero populo vivens et docens, neque Papam, neque Caesarem, neque Episcopum, neque alium quemquam exhorruit, sed suas sententias Ecclesiae Tigurinae libere proposuit, sique animadverterat, illam sibi assensisse, Senatum adiit, et, ut suam authoritatem interponeret, rogavit. Is plerumque concilio Ecclesiasticorum habito, res probe pensitari, et Ecclesiam de utriusque partis argumentis satius informari iussit. Hoc facto veritati triumphanti obsecundatum, et quicquid in Religione vel noxium, vel superfluum, vel humanum fuit, abrogatum est.* Fueslin, in *Praefat.* p. XIII. ad *Epp. ab Ecclesiae Helvet. Reformatorib. vel ad eos scriptt.*

(3) Zuingl. *de delectu et libero cibor. esu.* Op. T. I. p. 324.

ſocietate prorſus divelleretur. Quod imprimis obtinuit post disputationes illas, publice habitas.

Scilicet Canonici a ſuis ipſi iuribus deſtiterunt. Doctiores ad munera civilia obeunda ſunt vocati. Senioribus vero ſuis *beneficiis* ad mortem usque uti concesſum fuit. Caeremoniae, quarum magna copia laborabat Eccleſia Romana, ſunt abrogatae, et omnis cultus ſacer ad pristinam ſimplicitatem redactus (1). De imaginibus autem, ex aedibus ſacris remotis, Zuinglius ipſe haec notavit. „ Cum iam eo deventum esſet, ut idola pasſim a quibusdam deiicerentur importunius, totius maioris Senatus, quem Diacoſios dicimus, authoritas intercesſit, publico interdicens, ne quis privatus idola qualiacunque ſubverteret (niſi ſi quis domi ſuae privata haberet, vel quae ipſe ſuis impenſis fieri curavisſet, quae in ſua, non alterius potestate esſent ſita) usque dum quid hic fieri debeat, Senatus posſet ſtatuere. — Post haec rurſus a Senatu Diacoſiorum decretum est, ut ſingulis Eccleſiis liberum ſit, idola e templo ſuo deiicere, praeſcripto tamen certo, quem obſervarent, ordine. Iubebantur enim omnes, qui ad Eccleſiam aliquam pertinebant, una cum Episcopo vel Pastore ſuo in unum collecti convenire, et ſimul, quid de idolis ſentirent, conferre. Ut ſi vel omnes ſimul, vel maior illorum pars, tollenda esſe pronuntiarent, iam id commode, ſine turbis et tumultu importuno exequerentur. Quodſi vero maiori ex parte adhuc imperiti rerum et rudes esſe conſpicerentur, negotium hoc eousque differre iubebat

(1) Hottingerus, l. l. T. VIII. p. 89 ſqq. Ruchat, l. l. T. I. p. 381. Wirz, l. l. S. 108 ſqq. J. C. Heſs, l. l. S. 189. ſqq.

bat magistratus, donec, per Pastorem de hac et aliis rebus vere instituti, unanimi consensu eadem quoque demolirentur. – Dum vero haec in agro geruntur, in urbe quoque (quae tres Ecclesias particulares habet) idem illud negotium hoc modo transactum est. Primum idolorum patronis certum aliquem temporis terminum constituerunt, intra quem singulis sua idola, si quae illis propria essent, domum asportare liceret. Unde factum est, ut rursum magna ex parte idolorum numerus imminueretur. Constituto autem illis tempore iam elapso, ex omnium tam Clericorum, quam laicorum numero tres illos trium Ecclesiarum ministros, Heinrichum Engelhardum, Leonem Judae, et me, una cum duodecim senatoribus e singulis tribubus desumptis delegerunt, addito simul aedili publico una cum fabris lignariis, ferrariis, et alia servorum manu ad illud opus idonea: qui omnes templa ingressi, clausis post se ianuis, magno cum labore et studio non vulgari idola omnia demoliti sunt, quae deinde e templis exportata opportuno tempore vel flammis exusta conflagrarunt, vel in alios usus consumpta sunt. Pleraeque vero in agro Ecclesiae magna alacritate nos, qui in urbe sumus, praevenientes, confestim ea exusserunt" (1). Sublatis igitur imaginibus ipsum quoque *Collegium Abbatissarum* (dictum *Frauen-Münster*), quod et antiquitate et peculiaribus privilegiis erat nobilitatum, se Magistratui Tigurino submisit, cuius in potestatem tradidit omnes suos reditus opimos longeque maximos, additis precibus, ut eos sacrum in usum pauperumque solatium dirigere be-

(1) Zuinglius, in *Resp. ad Valent. Compar.* Op. T. I. p. 261. *b.*

benigniter vellent proceres (1). Deinde Senatus Monachos trium ordinum mendicantium collegit, eosque in Minoritarum aedes contruſit (2).

Praeterea Dominicanorum conventum in deverſorium, ipſas vero eorum aedes ſacras in quartam *eccleſiam parochialem* commutarunt. Nam et reliqui conventus ad pios uſus relati ſunt (3). *Miſſae* interea celebratio a laicis magis magisque negligebatur, et vilis fere habebatur. Tandem vero ubi opportunum iam adesſe videbatur tempus, Antistites Zuinglius, Leo Iuda, Engelhardus, Megander et Myconius d. 11 Apr. Senatum ducentorum adierunt, ſi iis concedere vellet, ut *Miſſam* una cum panis et vini adoratione, ſimilibusque caerimoniis, nullo modo Ieſu inſtitutioni congruentibus, abolerent. Deliberatione inita decreverunt P. C. *Miſſam* esſe abolendam (4). Iam ad Christi inſtitutum coena Domini celebrabatur ſumma hominum laetitia. Quocirca Reformatio Tigurina, hisce conſtitutis, ad ἀκμὴν fuit perducta (5).

Quae

(1) Ruchat, l. l. T. I. p. 263. Gerdes, l. l. p. 309.

(2) *Epp. Zuing. et Oecolamp.* p. 35. *a.*

(3) Ruchat, l. l. T. I. p. 273.

(4) Fuſius illud expoſuit ipſe Zuinglius, in *Subſid. de Euchar.* Op. T. II. p. 247. Tigurini Senatus de *Miſſae et Imaginum abolitione* decretum vid. apud Füſslin *Beytr.* T. I. S. 24 ſqq. 142 ſqq.

(5) Modum autem, quo ſacer hic ritus celebrabatur, idem deſcribit Zuinglius in *Fidei Chriſt. Expoſ.* Op. T. II. p. 563. *b.* ſqq. cf. Scultet, l. l. a. a. 1525. p. 314.

Quae vero ita a *Tigurina Urbe*, Zuinglio auctore, incepit Helvetiae Reformatio, ea sensim per varias Helvetiae Civitates fuit propagata. Quae cum a communi illo fonte sint repetenda, ad Zuinglianae Reformationis fata pertinere haud dubie videntur. Dum enim haec Tiguri molirentur, in caeteris etiam Civitatibus idem hominum conspiciebatur desiderium, verbis factisque patefactum; indigebat tantum opportunitate, qua sese exsereret; hanc vero accepit Zuinglii exorta Reformatione. In aliis autem Reformatio prospera usa est fortuna; in aliis ei sese magnopere opposuit Magistratus, eiusque vexavit sectatores. Eas igitur Civitates breviter attendamus, in quibus rerum sensim exstitit commutatio.

Omnium priores *Mullhusianii* Tigurinorum vestigiis institerunt, ipsamque Reformationem susceperunt; (1524) abrogata, post alia multa, *Missa*, auctore maxime Ulricho Hutteno (1).

Sequebantur *Scaphusiani*, in quibus cum vicinia Tiguri, ipsiusque Reformatoris, tum scripta Erasmi, Lutheri, Zuinglii potissimum meliorem suscitarunt rationem. Dein vero Wagnerus s. Hoffmeister, Zuinglii amicus, ab anno 1522, Sacra illic emendavit. Qualis autem illic processerit Reformatio, si quaeramus, ex illius ecclesiae archivis haec accepimus. „ Scaphusiani, qui anno superiori (1523) disputationi Tigurinae interfuerunt, cum domum reversi Abbati et reliquis Canonicis indicassent, ex omnibus praesentibus neminem unum fuisse, qui Sacrae Scripturae locis, et idoneis argumentis, themata Zuin-

(1) M. Kirchhofer, *Fortf. von Wirz*, T. V. S. 403 sqq.

Zuinglii refellere posset: et Abbatem et Erasmum Ritterum, ad oppugnandum Euangelium e Bavaria vocatum, ita immutarunt, ut, quod antea oderant Euangelium, amarent, et de Ecclesiae Reformatione serio deliberarent. Oecolampadius de Reformationis modo consulitur: Senatus, ut auctoritatem suam interponat, rogatur: Abbas et reliqui Monachi monasterio egrediuntur, abiiciunt cucullos, ducunt uxores, privatas instituunt familias, decimas et omnes Ecclesiae reditus Magistratus potestati et administrationi committunt hac conditione, ut vitae necessaria ad vitae dies suppeditentur. Idem facit Abbatissa cum sororibus suis, ordinem relinquunt, Magistratui omnia tradunt, ducunt viros, fiunt vere matres, quae ante sic dicebantur" (1). Anno vero demum 1529 *Missa* abrogata est, et sublatae Sanctorum imagines (2).

Eadem autem via processerunt *Appencellenses*, qui A°. 1524. habitis comitiis, Codicem Sacrum unicam habendam esse credendi et vitam agendi normam censuerunt. Non diu autem postea, invitis licet quam plurimis, qui Romanae Ecclesiae addictos se praestiterunt, cultum sacrum emendare coeperunt (3).

Maxime vero *Basileae* ea promovebatur. Floruit illic Academia. Illic ab anno 1514 Erasmus puriorem doctrinam excitabat. Capito porro, in Germania institutus, fundamenta posuit Reformationis Basileensis. – At vero maxime, licet magna hic oborta sint dissi-

(1) Scultet, l. l. a. a. 1524. p. 223.
(2) Scultet, l. l. a. a. 1529. p. 190.
(3) Simmleri, *Samml.* T. I. P. III. S. 803 sqq. cf. Rotermund, l. l. S. 110 sq.

ſidia, neque Magistratus facile favere videretur rerum commutationi, Oecolampadius, item in Germania inſtitutus, A°. 1521 omnem operam dedit, ut ſenſu vere Christiano imbueret cuiusvis generis homines, omnesque admonuit, ne quid agerent perturbate et praemature. At ſpes eum fefellit. Plebs enim magna vi res ſacras emendandas eſſe poposcit, inque ipſas imagines irruit. Verum prudentisſimorum virorum ope factum est, ut caetera, conſentiente (1528) Senatu, ordine tandem procederent (1).

Quod ad *Bernates* attinet, initio eorum animi vacillare videbantur, et, quorumnam ſ. Tigurinorum ſ. caeterarum Civitatum partibus ſeſe potisſimum adiungerent, neſcire. Hinc factum est, ut, quo magis de hisce rebus conſtaret, disputationem publicam (1528) decerneret Senatus, cui ipſe intererat Zuinglius, de qua ſupra verbo monuimus. Qua habita Reformatio mox publica auctoritate inducta est. Nam derogatae ſunt e templis imagines, et abrogatae caerimoniae ipſaque *Misſa* (2).

Bernatium autem exemplum mox ſecuti ſunt *San-Gallenſes*, *Glaronenſes*, *Comitatus Toggenburgici incolae*, *Conſtantienſes*, *Argentinenſes*, *Gevenenſes*, aliique (3). Nec vero hoc ita est intelligendum, ut omnes ubivis Reformatione laetati ſunt. In nonnullis enim

(1) Ruchat, l. l. T. II. p. 348 ſqq. Wirz, l. l. T. IV. S. 486 ſqq. Id. *Fortgeſ. von* Melch. Kirchhofer, T. V. S. 333 ſqq.

(2) Wirz, l. l. T. IV. S. 377 ſqq. Kirchhofer, l. l. S. 277 ſqq. Schroeckh., l. l. T. II. S. 146 ſqq.

(3) Scultet, l. l. a. a. 1528. p. 142 ſqq.

enim Civitatibus Pontificiorum aeque magnus ac Reformatorum ſuperfuit numerus.

Magnam autem Zuinglius in nonnullas etiam alias Europae regiones exſeruit vim et efficacitatem. Verum ab iis exponendis nobis est abſtinendum. Intelligimus iam ex hisce, breviter memoratis, eum de proſpero operis ſucceſſu idoneam laetandi habuiſſe rationem.

§ VII.

Variarum rerum inſtituta ad ſtabiliendam Sacrorum Emendationem.

Quae iam in Helvetia iuvenili forma prodiit Reformatio, deinceps Zuinglio aliisque auctoribus ad maiorem pervenit maturitatem. Variarum huc conduxerunt rerum inſtituta, quae digito nobis notanda ſuperſunt.

Primum igitur hic illa in cenſum venit inſtitutio, qua in Aede Sacra maiori quotidie libri V. ac N. F. praelegerentur, atque explicarentur in plurimorum Antistitum et Theologiae ſtudioſorum commodum. Hac in re ipſe Zuinglius et Johannes Ceporinus imprimis ſuas partes egerunt (1). *Deinde*, ut in fungendo ſacro munere arctius iungerentur omnes in civitate Tigurina Antistites, *formulae* edebantur in uſum eccleſiasticum; tum vero etiam *Synodi*, certis temporibus habendae, conſtituebantur, in quibus de Clericorum moribus deque caeteris agere-

(1) Scultet, l. l. a. a. 1525. p. 310. cf. Wirz, l. l. T. V. S. 110.

retur rebus communibus (1). *Praeterea* Zuinglius intelligens, quanti pretii esſet ſtatuendum, ut iuventus bene inſtitueretur, *ſcholarum* curam egit, easque idoneis ornavit praeceptoribus, inter quos eminuit Oswaldus Myconius (2). Quin etiam ne adolescentes in alias migrare cogerentur urbes, ſtudia promovendi gratia, Magistratus Tigurinus, Zuinglio ſuaſore, doctos arcesſivit viros, quibus Literas Humaniores docendi provinciam dedit. In hisce disciplinis nominis celebritatem nacti ſunt Conradus Pellicanus, Rudolphus Colinus, et postea Theodorus Bibliander, Petrus Martyr, alii (3). Nec hoc loco negligenda ſunt caetera illa inſtituta, quibus pauperum et aegrotorum commodis inſervirentur, neque illa, quibus boni proveherentur mores. Quibus rebus inſtituendis ſummam operam dedit Senatus Tigurinus, ita ut brevi temporis ſpatio monasteria in hospitia commutata, collegia, quae rerum curam gererent; conſtituta, et reliqua, quae necesſaria viderentur, ad communem utilitatem compoſita esſent (4).

(1) S. Heſs, l. l. S. 44. Rotermund, l. l. S. 169. 206.

(2) Ruchat, l. l. T. I. p. 135 ſq.

(3) Scultet, l. l. p. 311. S. Heſs, l. l. S. 46 ſqq.

(4) Sleidanus, l. l. L. IV. p. 108. S. Heſs, l. l. S. 50 ſqq.

CAPUT TERTIUM.

DE ZUINGLII DOCTRINA.

Diximus iam de ratione, qua Reformationem instituit Zuinglius. Haec autem nitebatur ipsa, quam proposuit, doctrina. Quapropter huius cognitio omnium maxime conducit ad iudicium de illius Reformatione rite regundum. Simul vero observandum est, eo consilio suam Zuinglium protulisse doctrinam, ut emendaretur Religio Pontificiorum. Hinc illa spectanda est opposita horum placitis. Zuinglium igitur hic non adeo *Dogmaticum*, sed vero *Reformatorem* attendere debemus. Quod ut rite fiat, prudenter acturi nobis videmur, siquidem *Commentarium* illum *de vera et falsa Religione*, fontem imprimis adhibeamus, tum quia eo in libro sua placita in ordinem redegit, opposita Romanae Ecclesiae erroribus; tum quia quam plurima fusius in hocce, quam in caeteris, exposuit; tum denique quia hicce liber inter ultimos, quos confecit, censetur. In iis autem, quae maiore illustratione indigere videantur, caetera etiam adhibebimus Zuinglii scripta.

Quod autem ipse ad lectorem est praefatus, in antecessum ferme tenendum videtur. „ Promiseram, candidissime lector, ante annum ferme, multis trans Alpes doctis piisque hominibus, quorum nonnulli multa mecum de plerisque fidei rebus coram contulerant, meam de Religione Christiana sententiam Latine scripturum. Obstiterunt aliquamdiu variae occupationes, quo minus promissa praestaremus. Attamen, ut spon-

de noxa praesto est, coëgit me fides data, ut noctes et dies sic per menses tres et dimidium sudaverim, ut non minus potuissem ad Gellii exemplum *Noctes* vocare (id quod nimirum hostes libenter facturi sunt, sed alia ratione), quam Commentarium. Sed Commentarium hac ratione libuit adpellare, quod Commentarii fere sunt, si modo vocem recte intelligimus, qui haud aliter quam epistola cum amico commentantur, nisi quod Commentarii fusiores sunt et liberiores. Cum ergo liberet de Religione Christiana cum doctissimis Galliarum viris commentari, nec tamen daretur, Commentarium mittere statutum est: sic ubique festinatum, ut saepe relegendi vix fuerit data facultas, tam abest, ut ulla castigandi aut ornandi adfuerit. Sed recte habet. Commentarius est, non oratio, aut liber nonum depressus in annum. Quae vero offendere videbuntur, optime Lector, ne tu velis incognita caussa damnare, sed vide, an quae dicimus, sint fidei simplicitati conformia, nec ne. Vale, et sicubi videas, nos errare, Christum precare, ut et ipse idem aliquando videam: si vero senties prisci erroris nebulas et reliquias, iterum precare, ut omnem simul caliginem auferat is, qui lux est, ut omnes simul possimus, quod verum est, intueri. Amen."

Nos autem ordinem, quem sibi in Commentario proposuit Zuinglius, sequentes, varia haecce capita ad quasdam sectiones revocanda esse censuimus, quo aptior sit legendi et totam hanc rem perspiciendi facultas. Quum vero hoc in libro data opera non agit de Cod S., unica credendi et vivendi norma, aliunde illud hic adducere operae pretium est; quod quidem caeteris eius placitis, quippe in eo fundatis, praemittendum est.

§ I.

§ I.

De Codice Sacro.

„ Verbum Dei summo honore et digna reverentia a nobis excipiendum est, (verbum Dei autem illud esse intelligo, quod ex ore Dei dictante Spiritu illius procedit) nec ullius verbo, quisquis is sit, ea fides, quam illi debemus, tribuenda est. Hoc enim certum est, infallibile, purum et clarum, nec patitur nos, luce sua illuminatos, in tenebris aberrare; exponit se ipsum; aperit sese et hominum animas iucundissimis gratiae et aeternae salutis radiis illuminat; spem et fiduciam in Deum fulcit; superbos animorum spiritus humiliat et deprimit, ut homo se ipsum abnegans totus ad Deum recipiatur, in hoc uno vivit, in hunc solum tendit, de omnium creaturarum viribus et salute desperans soli Deo innititur, sine quo non quiescit, in quo sola tranquilla redditur illius anima: quod et *Ps.* 77 testatur his verbis: *renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum.* Sic enim fieri solet, ut et in hoc saeculo piorum faelicitas et beatitudo inchoetur, non quidem re ipsa, sed fidei et spei certitudine: quam ut suo Spiritu in nobis confirmet Dominus, nec nos ab ea unquam abduci patiatur, suppliciter praecamur" (1).

„ Si veritatis sumus cupidi, hanc nusquam certius, quam in Christo, discemus, qui veritas, via est et vita. *Ioa.* 14. Apud homines veritatem reperire haud licet, utcunque hanc quidem venditent. *Omnis enim homo mendax. Ps.* 115. *Rom.* 3. — Quum perspectum ha-

(1) Zuinglius, in libro *de certit. et clarit. verbi Dei.* Op. T. I. p. 174. *b.*

habeam solum Deum esse veracem, cur non ab eo totus pendeam? Cur non illius verbo nitar? Cur non ab hoc uno magistro discam? Verax est et fidelis, pollicitus est, se daturum nobis, quidquid ab eo postulaverimus. Iacobus a Deo docet petendum, si cui desit sapientia. – Me sacrae scripturae iudicio libenter submitto, quae vera est et fallere non potest. — In summa, nihil verum est, quam quod Deus prodit. Quaecunque vero in verbo Dei fundata et firmata non sunt, vera esse non possunt" (1).

„ Haec unica et sola Dei voluntas est, ut unico ipsius verbo attendamus, et secundum unicam illius regulam vitae nostrae cursum dirigamus" (2).

§ II.

De Religione.

Quandoquidem totam Zuinglii doctrinam rite perspicere non possumus, nisi ante ipsum *Religionis* vocabulum intelligamus, primum, quid de illo sentiret, constare oportet, imprimis cum perversas hac de re Ecclesiae sententias emendare studuerit Zuinglius.

1. *De vocabulo Religionis.*

„ *Religionis* vocabulum a *relegendo* Cicero de Nat. Deor. l. II. derivatum esse putat, quod, qui religiosi essent, solicite cuncta retractarent ac veluti *relegerent*, quae

(1) *Explanat. Art.* xv. Op. T. I. p. 17.

(2) *Epist.* Zuinglii *ad Toggiorum Senatum.* Op. T. I. p. 150. *a.*

quae ad Deorum cultum pertinerent: quae quidem vocabuli ratio nobis quoque accommodata erit. Nos enim *Religionem* hic accipimus pro ea ratione, quae pietatem totam Christianorum, puta fidem, vitam, leges, ritus, sacramenta complectitur. Dum autem additione *veri* et *falsi* Religionem a *superstitione* distinguimus, in eum usum fit, ut cum Religionem ex veris verbi Dei fontibus propinaverimus, altero veluti poculo superstitionem quoque praebeamus: non ut quisquam de ipso bibat, sed ut effundat et confringat."

2. *Inter quos constet Religio.*

Religio autem duos fines complectitur, alterum in quem tendit Religio (sc. in Deum), alterum qui Religione tendit in alterum (sc. homo).

Duo igitur haecce Religionis obiecta singulatim spectanda sunt. Quapropter primum videamus *de Deo.*

3. *De Deo.*

„ Quid sit Deus fortasse supra humanum captum, verum quod sit, haud supra eum est." Id quod docet Historia, et Paulus *Rom.* I. confirmat. Notitia autem Dei non e nobis est, sed ex Deo. In agnoscendo Numine communem observamus gentium consensum, „ sed ratione longe diversissima."

„ Fideles (sic enim credulos vel pios, vel Dei veri cultores adpellari vulgo receptum est) hoc uno fideles sunt, quod unum verum Deum solum omnipotentem Deum esse credunt, eoque solo fidunt." At solius tamen Dei est, et ut credas eum esse, et eo fidas.

— „ Sin

— „ Sin vero iuxta Salomonis verbum, *Eccl.* I. *cunctae res adeo sunt difficiles, ut nequeat eas homo explicare*, et *Isaias* 45. commonens dicat: *vere tu es Deus absconditus:* constat, quod a solo Deo discendum, quid ipse sit." conf. 1 *Cor.* 2. „ Fucus ergo est, et falsa Religio, quicquid a Theologis ex Philosophia, quid sit Deus, allatum sit. Quod si quidam de hoc quaedam vere dixerint, ex ore Dei fuit; qui cognitionis suae semina quaedam etiam in Gentes sparsit, quamvis parcius et obscurius, alioqui verum non esset."

Ad cognoscendum Deum omnium prius requiritur, „ ut sciamus eum esse, qui naturâ est, qui ipse est, et a nullo accipit, ut sit, — qui omnibus esse tribuit, atque ita tribuit, ut esse nulla ratione, nulloque momento possent, nisi Deus esset, qui omnibus tum *Esse*, tum vita est, omnia sustinet, omnia regit." *Exod.* 3. *Isaias* 40.

Deinde, „ sicut Deus solum est, et se ipso est, ita et solum bonum, verum, rectum, iustum, sanctum est, nam se ipso bonum est, verum, rectum etc." *Gen.* 1. *Luc.* 18. „ Si nunc omnia, quae fecit, vehementer bona sunt etiam se iudice (*Gen.* 1.), et nihilominus nemo bonus est, nisi solus Deus (*Luc.* 18.), sequitur, quod omnia, quae sunt, in ipso et per ipsum sunt: — ideo sunt, quod Deus est, et ipsorum essentia est." *Rom.* 11.

Porro, „ cum omnia, quae vel moventur aut vivunt, ideo vivunt et moventur, quod sunt: nisi enim essent, moveri nequirent, aut vivere; quod autem sunt, in Deo et per Deum sunt: inde colligi clarissime potest, Deum, ut est *Esse* omnibus et *Consistere* (הוה), ita et vitam motumque esse omnium, quae vivunt, et moventur." *Gen.* 1. *Act.* 17. *Deut.* 30. „ Neque rursum sic est vi-

vita motusque rerum omnium, ut aut ipse temere inspiret aut moveat, aut quae spirat, vel moventur, temere ex ipso petant, quo vivant et moveantur: quomodo ex ipso peterent, quae ne esse quidem possent, nisi ex ipso essent, aut quomodo peterent, antequam essent? Constat ergo Deum non modo tanquam materiam aliquam id esse, a quo omnia sunt, a quo omnia moventur et vivunt, sed simul esse sapientiam, scientiam, prudentiam talem, cui nihil sit absconditum, nihil ignotum, nihil nimis remotum, nihil inobediens. Quibus fit, ut ne culex quidem lanceam adeo acutam, et tubam adeo canoram habeat citra Dei sapientiam, scientiam et prudentiam. Eius ergo sapientia cuncta agnoscuntur, etiam priusquam sint: eius scientia cuncta intelliguntur, eius prudentia cuncta disponuntur. Nam istud, quod Deus est, summum bonum non esset, ni simul sapientia et prudentia esset. Si enim quicquam esset, quod Deum latere posset, illic nimirum sapientia et scientia eius frigeret: si vero quicquam alia providentia, quam ipsius, disponeretur, iam divina torperet, et hac parte manca esset, et perinde nec summa esset nec absolutissima: quacunque enim parte cessaret, ea et imperfecta esset. Quod tam abest a Deo, ut nihil aeque cum ipsius ratione ingenioque pugnet, quam imperfectum esse?" Quae autem in Deo abscondita sunt, ne quaeramus per ingenii nostri tenuitatem et imbecillitatem.

Ut hasce Dei proprietates credamus, inducimur S. Cod. testimonio. *Prov.* 8. *Hier.* 51. *Ps.* 103. *Matth.* 6. 5. *Luc.* 12. *Matth.* 10. *Ioan.* 9.

„ Iam frustra esset, infructuosum ac inutile mortalibus, si hoc summum bonum Deus, sibi soli, quod dicitur, saperet. " Necesse est igitur, ut — benig-

num

num natura sua sit, ac liberale, ea (scilicet) liberalitate —, qua iis, quibus donavit, prodesse vult, et hoc unum ac solum spectat, ut eorum sit, quae a se facta sunt." — „ Testatur hanc sententiam tota creaturarum omnium corona", et S. etiam Cod. *Gen.* 15. *Isaias* 45. 55. 43, *Ps.* 32. *Joël* 2. „ N. Testamenti quae alia testimonia proferemus, quam eum ipsum, qui Testamentum est, *Iesum Christum* Dei virginisque Filium? *Rom.* 3. 1 *Ioh.* 2. *Hebr.* 10. *Ephes.* 2. *Rom.* 8.

Caeterum „ sancti Dei homines ab usque mundo condito Deum variis nominibus adpellaverunt, ut videre licet passim per utrumque instrumentum, nunc *Dominum*, nunc *Deum*, *vitam*, *consistentiam*, *patrem*, *fortem*, *lucem*, *omnipotentem*, *omnisufficientem* vocantes, quae tamen omnia nomina illi ex interna fide imposuerunt."

4. *De homine.*

Alterum, quod sequitur, Religionis obiectum, *homo* est.

Hominem plane cognoscere, res est perquam difficillima. 1 *Cor.* 2. *Hierem.* 17. A Deo igitur, hominis conditore, hominis cognitio est petenda.

Adam et Eva laeta primum versantes conditione peccarunt, et propterea poenas luunt, id est, mortem passi sunt.

De hacce autem morte observandum est, hominem „ fatali morte non extemplo concidisse, ubi hunc cibum comederat: multis enim postea saeculis vixit;" deinde, „ fatalem diem suo tempore non alia ex causa supervenisse, quam quod legem olim transgressus fuerat.

rat: *Per peccatum* enim *mors. Rom.* 5;" praeterea, „ Adamum aliqua morte occubuisse, ut primum audacem manum, fatali fructu oneratam, ori admovit. Sic enim habet verbum Dei: *in quocunque die ederis, morte morieris.* Mors ergo eodem momento, quo edit, sequuta est, at corporea confestim sequuta non est, animae ergo mors est, quae subito sequuta est," (*Rom.* 5.) id est *peccatum.*

„ Videndum nunc est, quid tandem sit mors peccati, aut quale sit eius ingenium. Coniectamus autem ingenia omnium, quae videmus ab adpetitu, quo impelluntur ad sequendum parandumque, quod cupiunt: sic avarum pronunciamus, qui opum gratia pavidus secat mare. Diligenter igitur et nobis spectandum est, quid maxime sequutus Adam, ingenium prodiderit suum. Diis aequalis erat futurus: quod si processisset, iam suopte Marte cogniturus erat, quid bonum aut malum esset. Haec est ergo esca, quam adpetivit, quaque captus est, Deum esse, ipsummet scire, quid bonum, quid malum. Verumtamen hic adpetitus unde originem habere potuit, quam ex amore sui? Omnes nobis malumus bene esse, quam aliis: φιλαυτία ergo, id est *amor sui*, causa fuit, cur malesuadae obtemperaret uxori Adam. Natura ergo est homo sui amans, non ea natura, qua institutus fuerat praeditusque a Deo, sed qua sorte, quam Deus dederat, non contentus, domi suae voluit boni malique peritus, imo Deo aequalis fieri. Amoris ergo sui ipsius cum sit reus factus homo, eiusque criminis damnatus, manifestum sit, quod peccati mors, quod ad ingenium attinet, ea sit, qua se homo perpetuo amat, sibi placet, se fidit, sibi omnia fert accepta, videre putat, quid rectum, quid curvum sit: ac quod ipsi probatur,

om-

omnibus probari debere opinatur, etiam creatori suo. In hoc enim αὐτοφώρῳ, id est ipso furto deprehensus est, quod Deus boni malique sciens, clam creatore suo fieri parabat: negari ergo malitia, negari ingenium, negari naturae vitium (quae quid aliud est, quam mors?) non potest."

De homine autem corrupto haec S. Cod. exstant testimonia. *Gen.* 6. 8. *Ies.* 9. *Ioann.* 8. *Rom.* 6. *Ioann.* 3. *Rom.* 7.

Errant igitur, qui homini tribuunt salvum integrumque iudicium.

5. *De ipsa Religione et pietate.*

„ Redeundum nunc est ad *Religionem*, quam tantisper omisimus, donec de iis, inter quos constat Religio, diceremus, quantum Dominus dedit. De voce autem dictum est satis, iam ad rem ipsam accedimus."

Adamum peccato et comminata poena miserum futurum, neque suopte motu a Deo gratiam petere ausum, ipse Deus ad se revocavit. Unde patet, Theologos male disserere de fide adquisita et arbitrii libertate. „ Nemo enim venit ad Christum, *Ioann.* 6. nisi Pater traxerit eum: neque est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei."

„ Hic ergo Religionem originem sumpsisse luce clarius videmus, ubi Deus hominem fugitivum ad se revocavit, qui alioqui perpetuus desertor futurus erat: videbat enim nuditatem, hoc est culpam suam, talem ac tantam, ut reditionem in gratiam desperaret: sed clementior Deus fugae obstinationem, attonitumque animum miseratus, non aliter quam pius Pater, qui filii sive stultitiam, sive audaciam odio quidem habet,

bet, sed odio filium habere nequit; perditum ac desperatum blande vocat, quoque in statu res sint, interrogat: *Adam, ubi es?*" Admiramur igitur Patris coelestis erga filium pietatem. „ Oritur ergo pietas a Deo usque ad hodiernum diem, sed in nostrum usum: quid enim defuturum Deo fuisse putabimus, etiamsi Adam subito fatali morte concidisset? Est autem tunc absoluta pietas, quum nos ad vocantem a nobis nostrisque consiliis convertimur."

„ *Pietas* ergo sive *religio* haec est: Exponit Deus hominem sibi, ut inobedientiam, proditionem, ac miseriam suam non minus agnoscat, quam Adam: quo fit, ut de se penitus desperet; sed simul exponit liberalitatis suae sinus et amplitudinem, ut qui iam apud se desperaverat, videat sibi superesse gratiam apud creatorem parentemque suum tam certam ac paratam, ut ab eo, in cuius gratiam nititur, avelli nulla ratione possit. Ea igitur adhaesio, qua Deo, utpote solo bono, quod solum aerumnas nostras farcire, mala omnia avertere, aut in gloriam suam, suorumque usum convertere scit et potest, inconcusseque fidit, eoque parentis loco utitur, pietas est; Religio est." „ Pietas ergo illic certo esse cognoscitur, ubi studium est iuxta voluntatem Dei vivendi: nam istud absoluta quoque pietas inter parentes ac liberos requirit, ut filius aeque studeat patri obsequi, ac pater prodesse. Iterum germana pietas istic solummodo nascitur, ubi homo non modo deesse sibi multa putat, sed adesse penitus nihil videt, quo placere Deo possit; contra vero creatori patrique suo sic omnia exuberare, ut nemo quicquam apud illum desiderare possit: liberalitatem vero ac erga hominum genus amorem tantum, ut nihil cuiquam negari possit."

„ Re-

„ Requirit five fides five pietas primum, ut a Deo discamus, quonam pacto ei placere posfimus: deinde requirit, ut iis, quae ab ipfo didicimus, nihil addamus, nihil adimamus." *Deut.* 4. 12. *Ifaias* 40. *Luc.* 16. *Deut.* 6. *Matth.* 4. 15. *Ioan.* 8. etc.

„ Falfa Religio five pietas est, ubi alio fiditur, quam Deo. Qui ergo quacunque tandem creatura fidunt, vere pii non funt. Impii funt, qui hominis verbum tanquam Dei amplectuntur. Furor igitur est et extrema impietas, quorundam five hominum five Conciliorum placita et decreta verbo Dei aequare."

§ III.

De Religione Christiana.

Hisce igitur expofitis Zuinglius transiit ad ea, quae Religioni Christianae imprimis propria funt priaque, quibusque, qua ratione homo ad veram felicitatem, quae virtute nititur, percipiendam posfit pervenire, docetur. Pauca praemifit

1. *De Patre, Filio et Spiritu S.*

„ Nos Deum fic agnofcendum amplectendumque docemus, ut five Patrem eum nomines, five Filium, five Spiritum S., perpetuo tamen eum intelligas, qui folus bonus, justus, fanctus, benignus, reliquaque omnia est. Contra cum Filio omnia tribuimus, ei tribuimus, qui est, quod Pater, quod Spiritus S, cuius regnum est, cuius potentia eodem iure, quo Patris et Spiritus S.; ipfe enim hoc ipfum est, quod Pa-

Pater, quod Spiritus S., servato nihilominus notionum, ut vocant, discrimine" (1).

2. *Deus Filium suum hominibus dedit Conservatorem.*

„ Christus est certitudo et pignus gratiae Dei." — Deus, humani generis miseritus, consilium coepit, quo eos a peccato poenisque liberaret. „ Cumque ipsius iustitiam, utpote sacro-sanctam, non minus illibatam inconcussamque manere oporteat, quam misericordiam, essetque homo misericordiae quidem indignus, sed iustitiae Dei totus obnoxius, invenit divina bonitas, quo iustitiae quidem satisfieret, misericordiae vero sinus absque iustitiae detrimento liberaliter

(1) Cum hacce Zuinglii de hoc placito sententia, quam hic ὡς ἐν παρόδῳ affert, cf. eius *Fidei Christ. brevis et clara Expositio*, non diu ante mortem conscripta, Op. T. II. p. 551 *b*. *Posteaquam Deum fontem rerum omnium et creatorem esse scimus, fieri nequit, ut quicquam aut ante illum, aut cum illo esse intelligamus, quod non ex illo sit. Nam si quicquam esse posset, quod non esset ex illo, iam ille non esset infinitus; non enim extenderetur isthuc, ubi illud aliud esset, cum esset extra illum: quibus fit, ut cum Patrem, Filium et Spiritum S. videamus in scripturis Deum appellari, ut non sint aut creaturae, aut dii diversi. Sed quod hi tres unum sunt, una essentia, una οὐσία id est existentia, una virtus et potentia, una scientia, et providentia, una bonitas et propensio, nomina sive personae tres, sed omnes ac singuli Deus idem et unus.* Cf. *De Prov.* Op. T. I. p. 353. *b*. *Sermo primus Bernae hab.* Op. T. II. p. 523 *b*. et 525 *a*. Ipso autem *Trinitatis* vocabulo usus est in *Annott. in Genes.* c. XVIII. Op. T. III. p. 34 *b*.

ter pandere liceret. Non quo sibi hac ratione ab adversario caveret, aut figulo non liceat e consperso luto facere vel refingere qualemcunque velit testam: sed quo per hoc iustitiae exemplum, oscitantiam et torporem a nobis tolleret, ac se qualisnam esset, iustus, bonus, misericors, nobis exponeret: aut, ne nimium de eius consiliis loqui praesumamus, quia sic illi placuit." Infinitae autem in S. Cod. sunt iustitiae et benignitatis divinae laudes *Ps.* 144. 100. *Exod.* 20. *Matth.* 19. alibi.

Homo, quippe qui peccatis est deditus, divinae iustitiae satisfacere nequit, ut bona quidem, quae dicuntur, opera divina magis reprobatione, quam approbatione digna sunt, si nimirum ad legis divinae postulata exacte aestimentur. *Rom.* 7.

„ Huic ergo tam desertae causae nostrae tandem volens succurrere creator noster, misit, qui suae iustitiae sese nobis litando satisfaceret: non angelum, non hominem, sed Filium suum, eumque carne indutum, ne aut maiestas a congressu deterreret, aut humilitas a spe deiiceret." — „ Ut enim Deus per Filium hominem creavit, ita per eundem in mortem prolapsum reparare statuit, quo eiusdem esset creatio et reparatio." *Ioan.* 1. *Colosf.* 1. *Eph.* 2. *Promissio Gen.* 3. (cf. *Gen.* 15. *Hier.* 23. *Gal.* 3.) quae Christum spectat. „ Considerande sunt postea omnia, quae per utrumque Adam gesta sunt, hoc est per carnalem parentem et Christum." *Rom.* 5. 1 *Cor.* 15. Quod breviter huc referri potest: „ obstrusit primi parentis audacia paradisum, reservavit Christi humilitas coelum."

„ Sunt et alia innumera in V. T. vaticinia, quae ipsius adventum, conservationem, mortem, ac omnem

pem prorsus et actionem et vitam sic explicant, ut nemo negare possit, sic eum scripturis adumbratum esse, cum tota eius actio ac doctrina respondeant." *Isaias* 11. *Hier.* 23. *Typi Christi in V. T. obvii*, *Gal.* 3 et 4. 1 *Cor.* 10.

Iesus Christus ex virgine nasci oportuit, tum propter divinam eius naturam, tum propter hostiae naturam. Ab omni enim macula alienum esse oportuit. Testes sunt Matthaeus, Lucas, Isaias etiam 7., et Ezechiël 44. Mariae virginitas probatur. Exponitur paucis Iesu historia. „Quae omnia eo libentius perstrinximus, ut cuivis intuenti iustitia Christi, qua vulneri Adae remedium attulit, apertior fiat. Stamus enim adhuc in hoc argumento, quod Christus sit iustitia nostra, innocentia nostra, et redemptionis precium. Ad hoc enim mortuus est pro nobis et resurrexit, ut declaret liberationis mysterium, spesque firmet, quae dum eum vident mortuum esse, ac mox suopte Marte revixisse, de aeterna vita, post istam, non possunt reddi certae." *Rom.* 6.

3. *Euangelium.*

„Christus haec omnia perpessus est pro nobis. Quodsi nostris operibus, aut nostra innocentia mereri salutem potuissemus, frustra fuisset mortuus. *Gal.* 2. Potest idcirco Euangelii ratio nunc breviter sic capi. Quod ad nomen attinet, ut id praemittamus, omnibus notum iam est, nihil quam *bonum nuncium* significare. Veruntamen, quod sit istud nuncium, ex eius verbis discendum est, qui nunciatur. Hic isto mandato misit discipulos suos: *Profecti in universum orbem praedicate* etc. *Marc.* 16. Audimus hic primum Euange-

gelium eam rem esse, quae credentem salvum reddat. Habemus ergo, quid efficiat. – Lucas 24, sic inquit: *tunc aperuit illis mentem*, *ut* etc. Hic aperte habemus, quid sit, quaque ratione praedicari oporteat Euangelium. Est enim Euangelium, quod in nomine Christi, remittuntur peccata, quo nuncio laetiorem nunquam intellexit ulla mens."

Intelligimus igitur ex hisce Euangelium hominem in cognitionem sui ceu peccatorem adducere; deinde etiam docere, „ nisi nos nostri poeniteat, taedeat, pudeat, Christum nobis, qui iam scimus, quid lex, quid peccatum sit, non fieri salutarem, neque preciosum;" denique, „ annunciare cumprimis vitam et mores immutandos esse:" quod vel inde patet, quod Iohannes Baptista praedicatione sua et baptismo tanquam symbolo homines, ut sibi poeniteat, admonuerit, tum vero etiam promiserit, Christum homines baptizaturum esse Spiritu S., i. e. cum Spiritum S. daturum esse, „ qui corda nostra sic illuminat ac trahit, ut eo fidamus, eo nitamur, qui Filius Dei est, qui nobis missus est, cuius nos fratres, eius misericordia, non nostris meritis facti sumus." – Unde et discipulos primo ad praedicandum mittens Christus, idem praedicare iussit, quod Ioannes, quod ipse praedicaverat, *Matth.* 4 et 10. *Marc.* 6. *Luc.* 9."

Sunt, qui dicant: „ si hoc pacto Christum volumus intelligere hostiam, quae semel oblata pro omnium peccatis satisfecit, omnes erimus ad libidinandum propensiores, quippe quod impune haec omnia fieri possint; Christus enim pignus est, quo peccata omnia dissolvuntur." Primum quidem Christum tum *salutis omnium gratia* missum esse, tum *solum* esse, per quem salus donatur, credimus, S. Cod. auctoritate in-

inducti. *Ioh.* 3. 6. 8. *Isaia* 5. 11. 43. *Matth.* 8. *Ps.* 17. 1 *Tim.* 2. *Rom.* 10. *Ioann.* 10. 15. 14. *Act.* 4. At vero ex hocce minime id sequitur, quod isti sibi praesumunt. „ Fides enim Christiana res est, quae in animo credentium sentitur, sicut valetudo in corpore. Hac quisque facile sentit, iniqua sit, an aequa: sic qui Christianus est, sentit, ut mens propter peccatorum onus male habeat: et contra sentit quam bene habeat, quum remedii in Christo certa est. Evenit etiam plerumque, ut dexteram valetudinem non tanti faciant, qui perpetuo valent, quanti faciunt ii, qui aut diuturnis aut gravibus morbis premuntur. Sic Christus iis, qui mentis aegritudinem nullam sentiunt, non tam est preciosus, quantum eis, qui et sentiunt et dolent." Qui autem ad pristinam venit valetudinem, is medicum magni pretii habet, et cavet, quantum potest, ne iterum in morbum incidat.

§ IV.

De iis, quae homini Christiano praestanda sunt.

Postquam iam ostenderat Zuinglius, homines a peccatis eorumque poenis, interveniente Christo, liberari, deinde docet, quaenam iis, ut grato Deum Christumque prosequi possint animo, praestanda sint officia. In hisce enim dogmatibus misera corrupta erat Ecclesiae illis temporibus doctrina, atque Christianos ad saniorem doctrinam reducere studet. — Agit igitur

 1. *De*

1. *De Poenitentia*,

cum hanc praecipue urgerent Pontificii, at vero longe alieni a Codicis S. doctrina; sed audiamus ipsum.

„Poenitentiam hactenus putavimus coactum istum simulatumque dolorem de admissis peccatis esse, ac precii, quanti peccatum aestimatum erat a iudice, id est confessore, dissolutionem. Tum enim poenitebat nos malorum, quum Pontifex iussisset, quum adpeteret paschatis celebritas, aut quum valetudo imperaret: quod quid erat, quam hypocrisis? aut aliunde prodiit, quam ex ignoratione sui! — Est ergo Euangelii pars altera poenitentia, non ea quae aliquanto tempore fiebat, sed qua homo, sibi ipsi cognitus, erubescit, pudetque eum veteris vitae duplici nomine, tum quod sibi ipsi tantopere displiceat ac doleat, tum quod videat alienissimum a Christiano homine oportere, ut iis in vitiis contabescat, ex quibus se ereptum credat et gaudeat." Iohannes baptista et ipse Christus eiusque Apostoli de ista poenitentia loquuti sunt, qua se homo in se recipit, ac omnia diligenter explorat, qua quaeque ratione faciat, qua celet, simulet, dissimulet: quod ubi citra fraudem fecerit, huc adigitur, ut prae morbi magnitudine de iustitia saluteque sua desperet. Tum „sese ad misericordiam implorandam convertit, ac mox viso Christo omnia speranda esse intelligit. Iam resurgit, qui prostratus erat, vivit, qui mortuum se difficulter et didicerat et senserat. Sed neque Christus, Ioannes, Apostoli de hac poenitentiae parte sic tantum locuti sunt, ut aliquousque durare debeat, post vero poni possit: sed ut perpetuo duret, quam diu frivolam istam corporis molem circumferi-

rimus." — „ Quocirca — nihil aliud, quam ad novam vitam vocant, priori dissimillimam, ad quam inchoandam qui sese dedidissent, sacramento notabantur initiali, baptismo videlicet, quo palam testarentur, se novam vitam ingressuros." *Luc.* 9. 14. *Matth.* 22. *Ioann.* 8. 14. *Rom.* 6. *Gal.* 6. *Rom.* 13. 1 *Petr.* 4.

2. *De Lege.*

Non sufficit, ut quem anteactae vitae poeniteat pigeatque. Legem etiam moralem noscat, eique cognitae obtemperet, oportet.

„ Lex nihil aliud est, quam aeterna Dei voluntas, *Rom.* 2. 7. 4. per quam scilicet intelligimus, quid ille velit, quid nolit, quid exigat, quid vetet, *Matth.* 7. *Rom.* 13. — Omnem igitur actionem, omne consilium, et quicquid ad proximum spectat, sub hac lege contineri, necesse est." „ Finis autem legis Christus est, *Rom.* 10, et finis legis charitas, 1 *Tim.* 1. Christum ergo et charitatem eandem rem esse oportet. Deus charitas est, 1 *Ioann.* 4. Qui ergo jam sub Christo merent, ad ea adstringuntur, quae charitas iubet: quod illa non iubet, aut quae ex ea non proficiscuntur, aut praecepta non sunt, aut inutilia sunt." 1 *Cor.* 13 (1).

3. *De Peccato.*

A peccatis autem abhorrere, eaque fugere debet homo Christianus.

„ *Pec-*

(1) Uberius suam *de Lege* sententiam exposuit in libro *de Prov.* c. IV. Op. T. I. p. 361. *b.* sqq.

„ *Peccatum* autem bifariam in Euangelica doctrina accipitur. Primum pro morbo isto, quem ex generis authore contrahimus, quo amori nostri addicti sumus. Eum morbum intelligit Paulus, *Rom.* 7: *iam non ego operor* etc. *Peccatum* ergo hoc, id est vitium, morbus est cognatus nobis, quo fugimus aspera et gravia, sectamur iucunda et voluptuosa (1). Secundo loco accipitur peccatum pro eo, quod contra legem fit, ut per legem cognitio peccati, *Rom.* 7. Actio ergo quaecunque tandem, quae contra legem fit, *peccatum* adpellatur."

— „ Liberati sumus a lege, cum *legis timori* charitas surrogata est. Qui amat, libere omnia facit, etiam gravissima, *Rom.* 7. — Liberati sumus iterum a *vindicta legis*, nam Christus eam mulctam, quae nobis pro peccatis nostris debebatur, sua calamitate solvit: a peccato vero quatenus morbus est sic liberati sumus, ut nocere amplius nequeat, si Christo fidimus."

Qui fiat, ut ii, qui in Christo sunt, etiam si peccent, non tamen damnentur, docet Apostolus, *Rom.* 6-8. „ Qui Christo fidunt, novi homines facti sunt: — manet quidem, quamdiu hocce corpore induti sumus, haereditarius simul morbus;" at mens est instaurata. — „ Haec est ergo Christiana vita, cum spes in Deum per Christum nunquam labascit, etiam si homo per infirmitatem carnis absque peccato non sit, tamen hac una ratione superet, quod se ei non dedit, sed quotiescunque tandem cadat, semper resurgit."

4.

(1) Alibi illud *peccatum* vocat *contagionem*, *propensionem ad peccatum*, *fontem peccati*, *non peccatum ipsum*, quod cum *culpa* coniunctum est. Cf. *brevis et pia Isag.* Op. T. I. p. 265. Liber *de Peccato Orig.* Op. T. II. p. 116.

4. *De Peccato in Spiritum S.*

Sunt quidam, qui timeant, ne aliquando peccatum committerent in Spiritum S. At vero ne timeant Fideles. Concedimus „ Ubi fides est, tametſi nunquam non ſis peccator, nunquam tamen deſinis infaelicitatem propenſionis ad peccandum deplorare, ſemper te denuo formare coeptus. Contra vero, ubi fides non est, illic nec peccati ratio habetur, nec timoris Dei. — „ Sola autem incredulitas (ex qua deinde manifestae contumeliae procedunt *Matth.* 12.) nunquam remittitur." Hoc est illud peccatum in Spiritum S., de quo Christus loquitur *Matth.* 12. Neque aliud est peccatum ad mortem, de quo Iohannes Apostolus, 1 Ep. c. 5. „ Quod propius intuenti facile patet."

„ Vera ergo Christi Religio haec est, qua miſer homo de ſe ipſo desperat, et omnem cogitationem fiduciamque in Deum iactat, certus, quod is nihil negare posſit, qui Filium ſuum pro nobis impendit: et quod Filius, qui aeque Deus ac Pater est, nihil negare potest, quum noster ſit. Falſa vero Religio inane Christi nomen circumfert, quum ſpes ſuas alibi habeat: alius enim peccata ſua ut abluat, ebrios cantores, alius Monachos ad ieiune psallendum conducit, alius ambitioſas aedes excitando, alius precioſam vestem concinnando divorum alicui mercari ſe putat foelicitatem, alius propriis, alius alienis nititur operibus: et breviter quotquot civitates ſunt, tot et dii ſunt: quaelibet enim habet peculiarem aliquem divum, cui tutelam ſuam acceptam fert."

§ V.

§ V.

De Ecclesia.

Illi qui Deo Christoque fidem habeant, et ad Dei voluntatem Christique exemplum vitam instituant, sese in societatem recipiunt, quae *Ecclesia* dicitur *Christiana*. — Quum vero Pontificii in Petro Apostolo fundatam esse affirmant Ecclesiam, operae pretium est hanc in caussam inquirere.

1. *De Clavibus.*

„ Non constat sibi falsa Religio in explicatione clavium, neque quid sint, neque ubi datae sint."

„ Clavium vocabulum hac ratione a clave reseratoria ad animi libertatem transumptum est, quod quae abstrusa sunt et vincta clave patefiunt ac reteguntur: nam conscientiae eodem modo clausae ignotaeque sunt omnibus, quam sibi ipsis. Sicut ergo, quae obserata sunt, sine propria clavi prodi nequeunt: sic et conscientiae solvi liberaeque reddi nequeunt, nisi germana clave id fiat." Quod autem Pontificii de Petri auctoritate affirmant ex *Matth.* 16, non recte sese habet. Observandum enim, non solum de Petro tale quid Iesum magistrum professum esse, *Matth.* 16, sed de caeteris etiam discipulis, *Ioh.* 6, atque ergo Christum omnibus eandem promisisse facultatem. Observandum porro, *Petri* nomen non hic primum Simoni impositum esse, cf. *Ioh.* 1. *Marc.* 3, atque ita *Matth.* 16. caussae veluti esse expositionem, cur Christus ei iam olim id nominis dederit, sc. quod constanter Petrus id professurus esset, quo superstruenda esset Eccle-

sia,

sie, i. e. Iesum esse Christum; quo sensu ipse Petrus hocce intellexit, 1 *Petr.* 2. Deinde tenendum, Petrum ipsum sese caeterorum presbyterorum collegam nominasse: 1 Petr. 5. Observandum etiam ipsum Petrum non sua potestate vel auctoritate egisse, sed potius ab aliis apostolis esse missum, *Act.* 8, neque eius sententiam prae caeteris valuisse, *Act.* 15. Animadvertendum denique Christum, *Matth.* 16. claves istas tantum promisisse, easque post suum in vitam reditum cunctis discipulis dedisse, i. e. *eos iussisse praedicare euangelium*, *Ioh.* 20. *Marc.* 16. *Luc.* 24. Cf. *Act.* 13. 18. (1) Quae cum ita sint „ facessant ac ocyus facessant impostrices Pontificum claviculae ex fidelium Ecclesia. Eis enim nihil quaesitum est, quam conscientiarum imperium."

2. *De Ecclesia.* (2).

„ *Ecclesiae* nomen Graecis a convocando derivatum es-

(1) „ *Claves ergo metaphorice appellavit Christus animorum liberationem et consolationem: quae tunc fit, quum Spiritu S. illustrante, mysterium Christi intelligimus, eique fidimus. Solvere ergo nihil est aliud, quam desperantem soluti mentem ad certam spem erigere. Ligare vero est obstinatam mentem deserere.*"

(2) Zuinglius haecce ex alio libro, cui titulum dederat: *Adversus* Hieronymum Emserum *Canonis Missae adsertorem Antibolum* (Op. T. I. p. 192.), hic in eruit: cuius rei, postquam quaedam de iis, qui male de Ecclesia sentiebant, praemiserat, hancce reddit rationem: „ Quoniam superiore anno mense Augusto de eadem re contra Hieronymum Emserum, impium plane ac impurum ho-

[illegible] Unde et Latinis re- [illegible] coetu, nunc pro concio- [illegible], pro populo, tum se- [illegible] spiritum Israëlitico in [illegible] accipitur." Cf. *Exod.* 12. [illegible] est Ecclesiam sic non [illegible] et fidelibus, sed etiam pro im- [illegible], dummodo ex semine A- [illegible] cumque piis mixti essent, ac- [illegible] in N. quoque T. videmus [illegible] accipi, qui Christo nomen de- [illegible] Christianorum versantur [illegible] revera sint parum fideles." 1 *Cor.* [illegible]

[illegible] alterum Ecclesiae genus, quod Paulus, [illegible] inquiens: *viri*, *diligite uxores*, [illegible] etc. — Sequitur ergo, quod [illegible] ita nos dilexisse, ut se ipsum [illegible] traderet, Christi Ecclesia sint, [illegible] ruga et macula alieni: nam Christus eos [illegible] mundavit, ut sibi copularet. Porro [illegible] liberavit, vere liberi sunt et quod Deus [illegible] ne Petro quidem permittitur, ut immundum [illegible]. Una igitur ista formosa columba, ab omni la- be libera, non aliquot Pontifices sunt, etiam sancti, pii, immaculati, sed quotquot sese Christi sanguine redemptos, ac ei velut speciosam sponsam copulatos, inconcusse credunt."

„ Chris-

[illegible] scripsimus, et tantae occupationum procellae sic nos undique adobruunt, ut quicquid tempusculi subtrahe- re non admodum necessariis rebus possumus, huc adsar- cinemus."

„ Christus (autem) tradidit se ipsum, ut Ecclesiam sanctificaret." – „ Hi ergo sine ruga sunt et macula, qui in Christo sunt." „ Is enim agnus est, qui tollit peccata mundi: is propiciatio pro peccatis nostris." – „ Cum igitur Dei Filius nos a peccati morte liberavit, ac nos id firmiter credimus, fieri non potest, ut non admirabili metamorphosi in alios homines transfiguremur. – Omne studium, (qui Christi Ecclesia sunt) huc vocant, ne in peccatum, in quo prius mortui erant, relabantur." *Rom.* 6.

„ Haec est illa Ecclesia, quae errare non potest; quod sibi Pontifices tam falso, quam impudenter arrogant. Nam haec Ecclesia Christi uno verbo Dei nititur: quod tam firmum et immobile est, ut coelum et terram citius ruere oporteat, quam ipsius unum apicem." —

„ Hominum oculis obscurum est, quinam aut quot intra Christi Ecclesiam sint. — Ecclesia illa hominibus est ignota, et nunquam coibit: usque ad ultimum istum diem, quo Dei Filius ad se vocabit omnes gentes, et iudicio cum eis contendet: illic videbitur, qua quisque fide fuerit."

„ Ecclesia Christi, quandoquidem hic nunquam coire potest, attamen verbo semper opus habet, sit ut per partes et membra sua, hoc est peculiares ecclesias, cum pastorem tum verbum exterius iudicet: sed per verbum Dei, quod in mentibus fidelium scriptum est." (1)

„ Ecclesia peculiaris impudentem item reiicit, ac poenitentem rursus in gratiam accipit: sed non alia vi, quam quod membrum Ecclesiae Christi est."

3.

(1) *Non unus quisque verum Dei verbi sensum comprehendit, sed sola mens pia intelligit, quae Dei sunt.*

3. *De Ecclesiae disciplina.*

„ Ea Ecclesia, quae visibilis est, cum habeat contumaces ac perduellos multos, qui ut fidem non habent, ita nullius faciunt, si centies extra Ecclesiam eiiciantur, opus habet magistratu, sive is sit princeps, aut optimates, qui impudenter peccantes coerceat. Nec enim frustra gladium gestat. Cum ergo in Ecclesia sint pastores, qui, ut est apud Ieremiam videre, pro principibus quoque capiuntur, constat Ecclesiam sine magistratu mancam esse ac mutilam." (1).

„ Iurisdictio aut iuris administratio, quam sibi Papa et Episcopi, caeterique, quos spirituales vocant, arrogant, tota magistratus secularis est, si modo velit esse Christianus." (2).

„ Magistratibus publicis omnes Christiani obedire debent, nemine excepto. Modo contra Deum nihil praecipiant. Hoc ergo omnibus piis observandum, si principes aut magistratus lectione, auditione, aut praedicatione verbi Dei interdicunt, ne pareant. Sed interficiunt, inquis. Hoc Dei nomine tibi ferendum, quandoquidem ipsi Iudaeis Christum et Apostolos trucidantibus similes esse volunt. Tu constans esto, nec dubita, quin Euangelii negotium tuo sanguine augescat plurimum." (3).

Quod autem ad *excommunicationem* attinet, „ in Christi verbis, *Matth.* 18. tota ratio et vis *excommuni-*

(1) *Fidei Christ. Exposit.* Op. II. p. 556. *b.*

(2) Art. XXXIV. et XXXVI. Op. T. I. p. 75. *b.* et 77. *a.*

(3) Art. XXXVIII. l. l. p. 79. *a*, Quid vero de Synodis constituerit Zuinglius supra exposuimus, Part. II. C. II. § 7.

nicationis comprehenditur. — Mox ante haec verba de offensione loquutus erat, neminem debere esse tam charum, etiamsi oculus fuerit, manus aut pes, quin si offendat, excindi debeat, veluti morbida et putrida membra amputantur, ne totum corpus perdant. Christus ergo sic loquitur: *si peccaverit in te frater unus.* In te, Ecclesia, id est, adversum te. Sic enim solet Christus singulari numero multitudinem, id est, Ecclesiam, alloqui. — Secundo loco dicit: *si peccat.* Ex quibus verbis sequitur, eos duntaxat excommunicandos esse, qui peccant. Ob quae peccata autem excommunicatio sit ferenda, *ea sunt*, quae veluti contagio quaedam offendunt et totum corpus inficiunt. — Tertio, admonendus est is, quem Ecclesia vult excommunicare, idque clam absque arbitris multo ante quam eiiciatur. Ut si quis adulter sit publicus et adulterio suo offendat Ecclesiam, ab Episcopo amice et clam admoneri debet. — Quarto, si peccans occulta admonitione moveri non potest, adhibendi sunt testes, ut de priori admonitione convincatur. — Postremo, offendens Ecclesiae notari debet, nec tamen adhuc excommunicatus est, donec Ecclesia decrevit eum eiiciendum. — Iam de Ecclesia, cui talis sit indicandus, pugnant Pontificii. Nam ipsi Episcopos — Ecclesiam vocant. Deinde tradunt excommunicationem ab Episcopo latam, Ecclesiae esse excommunicationem. Sed observandum — Ecclesiam in Scripturis accipi aut pro omnibus Christianis, qui in istis terris visibiliter nunquam conveniunt soli Deo noti, atque in hac Ecclesia omnes sunt, qui Deo Patri per Christum fidunt eoque nituntur, et haec est Ecclesia, quam in Articulis Fidei, profitemur: aut pro singulis quibusque Ecclesiis, quas paroecias vocant. — Cui

er-

ergo Ecclesiae offendens peccator indicari debet? Ad Ecclesiam universalem Christus nimirum nos ire non mandat; nam haec nusquam hic coit corporaliter. Quis enim omnes pios congregare posset? Restat ergo, ut Ecclesiae iubeat Christus indicandum peccatorem, quam paroechiam vocamus. Voluit enim Christus hoc praecepto cavere, ne morbida ovis caeteras inficeret et contaminaret; nihil enim humanis moribus tenerius, posteaquam semel vitiari coeperint, serpit morbus latius. Ut hoc caveatur, nemo magis aptus, quam Episcopus, quam Ecclesia: nam hi offendentis scelus optime cognoscere, mentem iudicare, et quomodo poeniteat animadvertere possunt. Non quod solus Episcopus haec facere debeat, quisque hoc potest, si Episcopus fuerit negligens." (1).

§ VI.

De Sacramentis.

Christus in perpetuum Fidelium usum quosdam ritus instituit, quos numero auxerant Romano-Pontificii, et Sacramentorum nomine insigniverant.

1. *De Sacramenti vocabulo.*

„Vocem istam *Sacramentum* magnopere cupiam Germanis nunquam fuisse receptam, nisi Germane esset accepta. Cum enim hanc vocem *Sacramentum* audiunt, iam aliquid magnum, sanctumque intelligunt, quod vi sua conscientiam a peccato liberet."

„Sa-

(1) Art. XXXI. l. l. p. 71 sqq.

„ *Sacramentum* Varroni pignus est, quod litigantes nescio ad quam aram deponebant: et qui vicisſet, pignus aut pecuniam ſuam repetebat. Rurſus ſacramentum iusiurandum est, qui uſus vocabuli etiamnum apud vulgum Galliarum et Italiae durat. Postremo dicitur et ſacramentum militare, quo milites duci adſtringuntur ad imperium eius, iuxta belli ius aut leges. — Nam pro re ſacra et arcana apud veteres accipi, non conſtat. Unde huic acceptioni locum non dedimus. Neque ei, ubi antiqua N. T. translatio pro mysterio ſacramentum habet: nam haec vox istam non exprimit, neque ſcio, ut Latina ulla vox μυστήριον probe exprimat: nam arcanum ad plura extenditur, quam μυστήριον, et ſacrum paulo angustius est. Unde adducimur, ut ſacramentum nihil aliud esſe videamus, quam initiationem aut oppignorationem. Sicut enim, qui ligaturi erant, certum pecuniae pondus deponebant, quod auferri non licebat, niſi vincenti: ſic qui ſacramentis initiantur, ſeſe adſtringunt, oppignorant, ac velut arrabonem accipiunt, ut referre pedem non liceat. — Sacramentum ergo — vim nullam habere potest ad conſcientiam liberandam."

„ Duo vero ſacramenta omnino reliquit nobis Christus, *Baptismum* et *Coenam Dominicam*. Quibus ſic initiamur, ut altero nomen demus, altero victoriae Christi memores, nos eius Eccleſiae membra esſe probemus. Accipimus in Baptismo ſymbolum, quod vitam ſimus ad regulam Christi formaturi: Coena Dominica damus experimentum, quod morti Christi fidamus, quum gratulantes et laeti adſumus in eo coetu, qui Domino gratias agit pro beneficio redemptionis, quod moriendo pro nobis liberaliter dedit. Reliqua ſacramenta ceremoniae potius ſunt, nihil enim initiant

in

in Ecclesia Dei. Unde non immerito loco moventur: non enim a Deo institutae sunt, ut aliquid eis in Ecclesia initiemus."

2. *De Baptismo* (1).

„ Ioannes, qui baptizando Baptistae nomen invenit, propriis verbis aperuit, quid baptismus sit: nempe initiatio, qua se signabant, qui vitam erant emendaturi. Loquimur autem nunc de elementali baptismo, quo tinguntur, qui vitam novam ingressuri sunt, non de baptismo, qui totam causam tam praedicationis, quam tinctionis complectitur." *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Ioann.* 1.

„ Sed antequam ultro progrediamur, dicendum est de Spiritus S. baptismo, de quo quum quidam non recte sunt docti, minus deinde recte de baptismo disserunt. Est ergo et Spiritus S. baptismus duplex. Alter, quo omnes irrigantur interne, qui Christo fidunt." *Ioann.* 6. *Isaia* 54. „ Alter — exterior. — Quo compluti aliquando pii, linguis coeperunt protinus loqui peregrinis. Quae res signum fuit aliis potius, quam iis, qui loquebantur." — Superior sic est necessarius, ut nisi detur, nemo salvus fiat: nemo enim nisi fide salvus redditur: at fides non nascitur, nisi Spiritu S. docente." — Praecessit ergo baptismus Ioannis utrumque baptismum Spiritus S., quan-

(1) Zuinglius iam hic quaedam de *Matrimonio* monet, et deinde ad *Baptismum* pergit. Sed quandoquidem postea ad idem de *Matrimonio* argumentum redit, „ quod (uti ipse dicit) superius, id, quod imprimis tractare debueramus exciderat," utrumque illud potius coniungendum esse censuimus.

quantum ad Christum attinet." *Luc.* 3. *Ioann.* 1. — Tinxit autem Ioannes aqua, „ et ideo tinxit, ut ad Christum mitteret."

Nullum vero discrimen est inter Ioannis et Christi baptismum, „ quod ad caussam et finem attinet, quamvis, quod ad usum sive formam attinet non nihil discriminis sit." — „ Uterque tendebat in Christum, hoc est novam vitam requirebat, quae ad exemplum Christi formaretur." —

„ *In nomen* baptizari, est in fidem in Deum inseri: nomen autem potentiam, maiestatem, gratiam hoc loco significare, non est novum." (*Matth.* 16. *Act.* 4.) Germanus horum verborum sensus est (*Matth.* 28.), ut qui Christum sint induituri, Patri, Filio, Spirituique S. initientur, hoc est, inserantur, adstringantur. Externa vero res est, quum tinguntur concurrentibus sacris verbis: *in nomine Patris* etc. (1), at verae rei signum et ceremonia. Ut cum aliquid per manus traditur, ipsa manuum copulatio non est rei traditio, sed visibile signum, quo testamur contractum esse, ex utraque parte perfectum. Sic sunt ceremoniae exteriora signa, quae accipientem aliis probant eum se ad novam vitam obligavisse, aut Christum confessurum esse usque ad mortem."

„ Quod autem ad infantium baptismum attinet, quem quidam eis hodie negant. — Nunc quum rogas, an infantes tincti baptismo damnentur nec ne, ipsique respondeant non damnari; et contra si roges, an damnentur, si non tingantur, respondeant, non damnari: tuque inferas, non ergo contineri infantes hac lege: *qui crediderit* (praedicato sc. auditoque Euangelio) et

(1) Latina versio habet *in nomine.*

et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, damnabitur: nam hoc adultis dici, non eis, qui audire nequeunt, non ergo posse infantes a communi salute reiici, eos praesertim, qui a fidelibus prognati sunt: nam alioqui conditionem eorum deteriorem futuram, quam carnalis Israëlis. Si ergo Christianorum liberi haud minus Dei sint, quam Israëlitarum, quis eos vetet baptizari iuxta Petri verbum? *Act.* 10. nihil de pertinacia mutant." (1).

3. *De Eucharistia.*

„ Εὐχαριστίας nomen Graeci dederunt coenae dominicae indubie hac causa, quod tam ex fide quam verborum Christi Apostolique vi intelligerent, Christum hac coena voluisse iucundam sui commemorationem fieri, gratiasque publice haberi pro beneficio, quod in nos liberaliter expendit: est enim *Eucharistia* gratiarum actio. Qui ergo, in hac publica gratiarum actione interesset, toti se Ecclesiae probaret, ex eorum esse numero, qui Christo pro nobis exposito fiderent: e quo se numero eximere, subducere, aut alienare, sive desertione, sive impuritate vitae, summa esset perfidia. Unde et communio vel communicatio apud Paulum 1 *Cor.* 10. vocatur. Hinc etiam excommunicatio, quum scilicet alicui negabatur ad hanc fidelium communicationem accessus, propter vitae spurcitiam. Tenemus ergo hanc vocis significationem." Ad locum *Ioann.* 6. rite intelligendum, observandum est,

(1) Zuinglius data opera infantium baptismum variis argumentis vindicavit in libro: *de baptismo, anabaptismo et infantum baptismo.* Op. T. II. p. 56. *b.*

est 1.) cibum, quem quaerere iubet Christus; his esse fidem in ipsum; 2.) Christum per *panem* et *edere* nihil aliud intelligere, quam *Euangelium* et *credere*; docere, *illum, qui credit eum pro nobis immolatum, eoque nititur, habere vitam aeternam*, neque igitur loqui *de sacramentali esu*; 3.) Christum hactenus nobis esse salutarem, quatenus pro nobis mactatus est: „ at secundum carnem mactari tantum potuit, et secundum divinitatem tantum salutaris esse" (1); itaque Christum hic non loqui de sacramentali esu; 4.) Christum hoc posuisse notam, qua cognosceretur is, qui carnem eius edit et bibit eius sanguinem, i. d. qui pio animo in Christum fidem habet, cuius morte liberati sumus, eum sc. in Christo manere, ipsumque in eo; 5.) carnem Christi comesam non prodesse.

Maxime autem „ durae sententiae de corporali sensibilique Christi carne occasionem dedit ignoratio verborum Christi: *Hoc est corpus meum* etc."

Particula *hoc* non est in Christum referenda; „ tunc enim omnis frigebit actio; infirmum (autem) est argumentum, quod ab imitatione generis captum fuit; neque haec interpretatio apte congruit cum sqq.: *hoc facite in meam commemorationem*."

„ Difficultas universa — sita est in verbo *est*. Nam ea in sacris literis non uno loco pro *significat* ponitur." *Gen.* 41. *septem boves pulcrae — septem ubertatis anni sunt. Luc.* 8. *semen est verbum Dei* etc. *Matth.* 13. *ager est mundus*, alibi. Scriptoribus autem sacris

(1) *Nisi Deus simul fuisset, qui moriebatur, non potuisset toti mundo salutaris esse.*

cris consuetae sunt *μεταφέρω* et *μεταλήψεις*. *Luc.* 13. alibi (1).

Iam si *est* accipiatur h. l. pro *significat*, vide, quam optime omnia quadrant: „*hoc significat corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem:* hoc quod ad edendum praebeo, symbolum est corporis mei pro vobis traditi: atque hoc, quod nunc facio, in meam commemorationem postea facietis." *Lucas*, et *Paulus*, 1 *Cor.* 11.

„Nunc ad *poculi* verba veniamus, quibus haec sententia clarius deprehenditur. Sed prius hoc admonebimus, *poculum* pro *potu* accipi: continens pro eo, quod continetur. Sic ergo habet: *hoc poculum illud novum testamentum* (sive h. p. est novum t.) *in meo sanguine, qui* etc."

„Quod hoc poculum pro symbolo veri Testamenti accipiatur, ipsa verba indicant; quum ait: hoc poculum, novum Testamentum, id est, Testamenti signum ac instrumentum est in meo sanguine: non dicit: hoc poculum, quod novum T. est, est sanguis meus: sed, hoc poculum N. T. est in meo sanguine. Ea autem, quorum unum in altero est, inter se distinguuntur, ut res et res, quod isti dicunt realiter. Porro, quae realiter distinguuntur, nulla ratione sic convenire possunt, ut eaedem res sint. Quod enim in alio est, non est hoc ipsum, in quo est." „Cum ergo poculi verba sic habent: hoc poculum N. T. est in meo

(1) Uberius omnem hanc rem de Eucharistia Zuinglius exposuit in libro, cui titulus: *Subsidium sive coronis de Eucharistia*, in quo argumentum maxime urget desumtum ex *Exod.* 12. Op. T. II. p. 244.

meo ſanguine: ubi *in meo ſanguine* alium ſenſum habere nequit, quam, quod Testamentum vim habet in meo ſanguine, ſit manifeſtum, quod panis verba conſimilem ad modum ſic accipienda ſunt: hoc, quod ſe. edere iubeo, ſymbolum est corporis mei." Matthaeus et Marcus, Lucas et Paulus varie quidem rem enunciant, qua in re obſervandum, hosce illorum verba conſulto explicuiſſe.

Quod ad locum 1 *Cor.* 10. attinet, ſufficiat annotasſe, corpus Christi, cui participes fieri dicuntur Christiani celebranda coena dominica, hic ex contexta oratione aperte ſignificare eccleſiam, morte Christi violenta tanquam fundamento nixam, quem, qui tali ratione celebrat, testatur coniungere ſeſe cum Christo tanquam capite, et cum fratribus tanquam membris.

Prouti autem „ Paſcha celebratio erat et feſtivitas, qua ex aegyptiaca ſervitute ſe liberatos eſſe Domino gratulabantur (Israëlitae), — ſic Eucharistia — nobis est redemptionis commemoratio, feſtivitas, aut celebritas."

„ Falſa ergo Religio est, quae docuit huius ſymbolici panis uſum peccata delere: nam Chriſtus ſolus delet peccata, quum moritur: mortuus est autem ſemel tantum, ut tota *Ep. ad Hebr.* et *Rom.* 6. habetur. Semel ergo mortuus, perpetuo valet ad omnia omnium exhaurienda peccata. Falſa est Religio, quae docuit, hunc panem opus aut oblationem eſſe, quae quotidie oblata peccata nostra expiet." (1)

4. *De*

(1) Quod iam Zuinglius argumentis probat, deſumtis iterum ex *Antibolo adverſus* Emſerum. Notat autem ſimul, Pontificiorum interpretationem eſſe oppoſitam Patrum

4. *De Confessione.*

De confessione haec tenenda sunt. „ Satis confitetur, qui Deo fidit. *Ps.* 104. 1 *Ioann.* 4: qui cum laudat et gratias agit pro impensis beneficiis, ut *confitemini Domino, quoniam bonus*, quemadmodum cecinerunt filii Israël Pharaone merso: qui peccata sua agnoscit ac coram Domino deplorat, sic, qui praedicatione Ioannis compungebantur, agnoscebant, sic habere, quemadmodum ille docebat: qui assidue veniam sociis fratribus orat" *Iac.* 5.

Male igitur Pontificii confessionem laudant *auricularem.*

5. *De Matrimonio.*

Matrimonium esse sacramentum non probari potest loco Paulino *Ephes.* 5. „ Peccatum enim est ab interprete, qui, quoties *arcanum* pro *mysterio* traducere debuisset, *sacramentum* transtulit." — „ Quod si sacramentum esse contendas matrimonium ea causa, quod Christum et Ecclesiam figuret, nihil morabimur. At non est initiatio, sed foedus vitae fortunarumque coniunctio, et communis alea. Cum ergo Christi et Ecclesiae coniunctio matrimonii comparatione dicitur, quid opus est inter sacramenta numerare?"

Caeterum cum honorifica res sit connubium, *Hebr.* 13: „ cur rem Dei etiam testimonio sanctam, piam ac bonam quibusdam interdicimus? puta Sacerdotibus, Monachis et Monachais, Episcopis, hoc est, verbi

mi-

trum Ecclesiasticorum hac de re sententiis, videlicet Tertulliani, Augustini, Origenis, Hilarii, Hieronymi.

ministris." — „ Sed cum videamus infirmum esse, nolumus cum totius Ecclesiae offensione et ignominia scortatorem ferre, quam legitimum maritum, — quum tamen ante omnia coniugatum quaerat Paulus in delectu suo" 1 *Tim.* 3. *Tit.* 1.

6. *De reliquis Sacramentis.*

„ *Confirmatio* tunc sumpsit exordium, quum vulgo coeptum est infantes tingi, quum apud priscos ii modo tingerentur, qui in vitae demicatione constituti essent: quanquam quid hoc erat? num mortis discrimen doctiores rerum Christianarum faciebat? Sed inbibitus erat error, qui baptismum existimabat post fidem peccata abluere: qui deinde, ut adsolet, atrocius grassatus, ausus fuit infantibus etiam salutem negare, quasi vero crudelior sit Christus, quam Moses: sub quo inter filios Israël censebantur, qui circumcisi essent, aut oblationibus initiati: etiamsi Abraham fide nondum imitarentur, nec enim poterant."

„ *Extrema unctio*, sic enim vocant, humanum ac civile officium est. Ungebant Apostoli nonnunquam aegrotos, et bene coeperunt habere, qui sinistrius paulo ante valebant. *Marc.* 10. Hoc perpetuo servandum esse monet *Iacobus* 5. Invisere videlicet aegrotos, ubi si usus postulet, aut aegritudo ferat, qui profectiore iam sunt aetate, malum debeant attrectare, ungere, ac Deum, ut liberet, orare."

„ *Ordo sacer*, quem perhibent animae characterem quendam, velut ungue, infligere, humanum figmentum est. Quod autem de impositione manuum ex *Actis* et 1 *Tim.* 4. adducunt, frivolum est. Exterior haec consignatio fuit, qua eos notabant, in quos lingua-

guarum donum erit venturum, aut quos ad verbi ministerium erant emissuri. Quid hoc ad characteris figmentum facit? functio est, non dignitas, episcopatus, hoc est, verbi ministerium. Qui ergo administrat verbum, episcopus est: qui minus, tam non est episcopus, quam non est consul vel magistratus, qui non fungitur."

§ VII.

De caeteris nonnullis Latinae Ecclesiae erroribus, imprimis in cultu sacro.

Zuinglius, Reformatoris partes agens, non potuit non caeteros etiam Latinae Ecclesiae errores perstringere, iisque simplicem opponere S. Cod. doctrinam.

1. *De Votis.*

Castitatis voto opponimus Pauli auctoritatem, 1 *Cor.* 7. *si se non continent, nubant: praestat enim nubere, quam uri.*

„ *Paupertatem* quid attinet vovere? Christiana mens Christiana non est, nisi sit pauper. — Si dives es," pauperum curam geras! „ si pauper, quid voves, quod velis, nolis, ferre cogeris?"

„ Quid opus est, ut *obedientiam* promittas, quam sic debes, ut, nisi praestes, ingratum sis iudicem habiturus?"

2. *De divorum Invocatione.*

„ Solus Deus bonus est, *Luc.* 18. Ab hoc ergo fonte uno et solum bono derivare oportet, quicquid eo indigum est. *Iac.* 1. Fideles ab uno et solo isto bo-

bono pendent, ei unice adhaerent, ad ipsum solum recurrunt, ex solo hauriunt. *Deut.* 32. *Hier.* 2. — Fideles ergo soli sunt, qui se sic Dei esse sciunt, ut alium Patrem ne nominent quidem, quam omnipotentem Patrem: tantum abest, ut in alium spem habeant. *Matth.* 23. *Ps.* 4. 39. *Hier.* 17. — Porro quod citra cunctationem ad eum confugere tuto liceat, apertissimis ubique verbis ipse declaravit. *Gen.* 15. *Lev.* 20. *Num.* 35. *Ps.* 34. *Isaia* 43. *Ezech.* 18. Totum autem N. T. quid aliud est, quam solida certaque gratiae Dei confirmatio? Nam qui Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nobis non omnia cum illo donabit? — Itaque patronis non opus est. Quisque se summo Deo commendare potest et debet. Unus est mediator Dei et hominum; homo Christus Iesus, per quem unum ad Patrem venimus." 1 *Tim.* 2. *Ioann.* 16. *Act.* 4.

„Quae vulgo in contrarium adducuntur, aut frivola sunt, aut carnalis sapientiae."

Si de divorum cultu quaeramus, in eo unice consistit, „quum omnes firmiter ei Deo adhaeremus, cui, et ipsi dum viverent, et adhaerebant et adhaerendum esse alios quoque docebant."

3. *De Statuis et Imaginibus* (1).

Quod quidam dicunt, „imaginibus hominem doceri, ac ad pietatem moveri, de suo faciunt. Nusquam enim Christus hunc docendi modum docuit, neutiquam

(1) Hoc quidem caput, quod Zuinglio ultimum est, praecedenti subiungendum videtur propter argumentorum similitudinem.

quam omisſurus, ſi profiturum esſe praevidisſet: quin contra non ignarus omnium, quae ventura ſunt, vidit crebro fieri, ut ad illa, quae ſenſibus patent, convertamur, noluitque, ut doctrinae occaſione imagines redderentur nobis augustiores." — „ Sed obiicit contentio. Imagines non esſe cultas, ſed eos, quorum ſunt. Reſpondemus. Neque Gentes ullas unquam fuisſe tam ſtolidas, ut lapideas, aereas ac ligneas ſtatuas propter ſe ipſas coluerint, ſed in his venerabantur Ioves et Apollines ſuos. — Cum ergo dicitur, nos imagines non colere, quod tamen falſum est, nam angustius colimus, quam ullae Gentes idola coluerint: ſed donemus hoc, non tamen ſequitur, licet ergo imagines habere, duplici nomine. Primum, quod tam diſerte habemus, tam in N. quam in V. T. idolorum cultum esſe vetitum. Secundo ſic patet, imagines non licere habere, etiam ſi non colantur, quod ratio ista exempli, propter quam perhibent, haberi posſe, immenſum frigus nostrum produnt: 1.) quod nullus amor Dei ſit in nobis, is enim ſatis extimulat ad recte vivendum; 2.) quod non tutum est omnia ſequi exempla, quam eius, qui exprimi non vult. Cf. *Exod.* 20. 34. *Lev.* 19. 26. *Deuter.* 4. 5. 7. 11. 13. 27. *Num.* 25. *Ioſ.* 24. *Iud.* 10. 1 *Reg.* 7. *Pſ.* 69. 114. *Iſaia* 42. 44. *Hierem.* 10. 13. *Ezech.* 14. 6. *Mich.* 1. *Abak.* 2. 4 *Reg.* 18. 10. 23. 31. 1 *Cor.* 5. *Act.* 15. 1 *Cor.* 8. 10. 12. *Gal.* 5. 1 *Theſ.* 1. 1 *Petr.* 4. 1 *Ioann.* 5.

4. *De Merito.*

„ Diximus in ſuperioribus, ista quatuor cognata esſe, Providentiam, Praedeſtinationem, liberum arbitrium et meritum: non quod posteriora duo prioribus cog-

cognata sint, sed quod, qui priora recte cognoverit, posteriora quidnam sint, ignorare non possit."

„ Prouti omnes res per Deum constant: ita servantur ac disponuntur per ipsum omnia: quod autem mentes nostrae huc non perveniunt, causa est ipsarum angustia et circumscriptio. — Est veluti Deus in mundo, quod ratio in homine. — Nec illi turpe est, quod nobis, quae enim nobis turpia sunt, ex eo provenit, quod lex nobis imposita est. Lex autem hac causa est posita, quod adfectus nostri modum excedebant. Hi autem in Deo quum non sint, legi non est obnoxius, sed hoc ipsum est, quod a nobis per legem exigit."

„ Nascitur autem praedestinatio, quae nihil aliud est, quam si tu dicas praeordinatio, ex providentia, imo est ipsa providentia, nam et Theologi providentiam a sapientia sic discriminant, quod illa progrediatur ad agendum et disponendum, haec autem videat, quid, quomodo agendum sit. A summo enim bono alienum esset, omnia nosse priusquam fierent, nec omnia disponere et ordinare posse: rursus omnia ordinare, scire, et posse, nec tamen facere, illiberale, imo invidiosum esset: quod de numine supremo suspicari nefas est. Providentia ergo Dei simul tolluntur et liberum arbitrium et meritum: nam illa omnia disponente, quae sunt partes nostrae, ut quicquam ex nobis ipsis fieri possimus arbitrari? Cum autem omnia ipsius opera fiant, quomodo nos quicquam merebimur?"

Nitimur autem maxime S. Cod. auctoritate (1). „ Nostris meritis non venitur ad Deum, sed soli Christi. *Ioann.* 14. Nostris viribus nihil possumus, sed

(1) Ex *Antibolo adv.* E m s e r u m.

sed solis viribus Christi. *Ioann.* 15. Quid igitur meremur? Merita nostra non tollunt peccata: nam si tollerent, Christus frustra e coelo esset missus. *Ioann.* 1." Cf. praeterea *Matth.* 19. *Luc.* 17. *Ioann.* 9. *Rom.* 11. 3. *Gal.* 3. 1 *Cor.* 15. *Gal.* 5. *Phil.* 2. „Quod autem in contrarium multi loci, quibus meritum adferi videatur, adduci possint, non inficiamur: sed ad eam semper confugiendum est regulam, quod sicubi eadem res et Deo et nobis accepta feratur, eam semper sententiam sequamur, quae ad gloriam Dei spectat, et, nomen eius sanctificans, illi omnia refert: non contra istam, quae nobis aliquid tribuit, tametsi Deus per benignitatem, qua nos nunquam destituit, nonnunquam nobis tribuat, ut ministris et filiis suis, quae eius solius sunt."

„Quid vero de iis operibus dicturi sumus, quae iuxta hominum traditionem et doctrinam inventa sunt? Fucus fuerunt, aucupia et ad emungendam pecuniam retia. Omnia opera pietatis aut carnis fructus sunt: nam si pius es, ex fide iis rebus studes, quas fides dictat. Qui enim fidem habet, Deus in eo est et ipse in Deo. At ne quisquam dicat: Hoc charitatis est, quod tu fidei tribuis. Considerandum est, quod *fides* in Scripturis sacris varie accipitur: primum pro *credulitate:* deinde pro *firmitudine:* mox pro *fiducia* in Deum: et de ista sola debet intelligi, quod fides salvum faciat. Qui vero iam non intelligunt fidem, spem et charitatem eandem rem esse, nempe hanc in Deum fiduciam, multos nodos in scriptura cogentur inexplicitos praeterire. *Rom.* 4. 8. *Iac.* 1." – „Habet ergo humanum pectus Deo coniunctum, hoc est pietas, alia atque alia nomina ab incremento. – Nec quicquam aliud est, quam in Deum pietas, sive ames, speres,

aut

aut fidas. — Quum ergo bona opera fidei fructus sunt, nimirum Dei sunt, non nostra; quid ergo pro eis repetemus, quae nostra non sunt?"

In ea autem omnis pietas consistetur, quod ad Christi institutum duo illa primaria praecepta observemus, e quibus tota lex pendet et prophetae. *Matth.* 22. Opera danda est, ut Christi simus discipuli. 1 *Ioann.* 2. „ Christus autem omnibus benefaciendo, ac se ipsum tandem pro omnibus expendendo Patrem honoravit. Sic nimirum nostrae caeremoniae non aliae erunt, quam quibus Christus est usus: iis enim clarificatur Deus, hoc est, ut simus veritatis ac innocentiae studiosissimi, paratioresque, ut nos pro fratribus exponamus, quam, ut illos pro nobis conculcemus. Hoc est Patrem in spiritu et veritate adorare."

5. *De Oratione.*

„ Oratio est elevatio mentis in Deum." — „ Adorare Hebraeis idem est, quod colere (*Exod.* 20.); — est deinde, mentem Deo, h. e. domino, qui omnia possit, et Patri, qui velit, devovere. *Ioann.* 4. — non iureiurando —, sed assiduo charitatis incremento, ut in ea nihil subdolum remaneat, nihil ex ea prodire possit, quam quod sit verissimum, ac Deo simillimum." Oramus, quando cum fiducia Dei opem imploramus; at „ cur hoc pro meritorio opere imputamus? Quis enim unquam tibi pro bono opere imputare queat, quod crebro ad te veniat, nunc pecuniam, nunc vestem, cibum, consilium, opem oratum?" Pro fratribus oremus, oportet, sed amore ducitur, cur pro precibus, quas fundit, pecuniam accipiat? „ Potes quidem ex fide in Deum pro alio orare, sed fidei

tuae

tuae partem non cuiquam impartiri: fides enim eius solummodo est, qui fidit, neque opus est meritorium."

6. De Purgatorio.

„ Nescit Scriptura S. istum purgatorium." „ Etenim (1), qui in Christum credit, non damnatur, sed salvus fiet, et duo tantum sunt loca, quo mortui transeunt, alterum beatorum, damnatorum alterum." *Marc.* 16. *Ioann.* 3. 5. *Rom.* 8. *Matth.* 24. 1 *Thess.* 4. *Luc.* 16.

Quae autem pro vindicando hocce placito adducuntur loca S. Cod., nullam prorsus probandi vim habent. Sunt autem *Matth.* 5. (sect. 25). *Matth.* 18. (sect. 34. 35.) *Matth.* 12. (sect. 31. quacum cf. *Marc.* 3. *Luc.* 12.) 1 *Cor.* 3. (sect. 12-15.) alia.

§ VIII.

De Magistratu.

Quod Zuinglius singulatim etiam de *magistratu* ageret, ansam dederunt dissidia, quorum auctores fuere Anabaptistae.

Bonus civis esse quis potest, nec tamen bonus christianus. „ Nulla (autem) civitas beatior erit, quam in qua vera Religio simul degit. — Quodsi membra sic habere convenit, multo magis caput istum (*id est magistratus*). — Aequus ac iustus magistratus ne esse quidem potest, ni christianus sit." Opus esse civitati, qui rem bene gerant, iisdemque obtemperandum es-

(1) Haec ex *Antibolo adv.* Emserum.

esse docet S. Cod. *Deut.* 1. *Rom.* 12. 13. 1 *Petr.* 2. 1 *Tim.* 2. Id, quod exemplis etiam docetur Abrahami, Mosis, Iosuae, Davidis, Salomonis, Asae etc. cf. *Rom.* 16. *Act.* 13. Laudandi sunt reges et imperatores Theodotius, Carolus Magnus, Ludovicus Pius. Errant igitur Anabaptistae, magistratum omnem reiicientes.

„ Iam videbimus, qualis sit christianorum magistratus. Invenimus autem, non ut isti dicunt, sacerdotalem et laicalem esse magistratum, sed unum tantum: nam Ecclesiae potestas, qua impudentem a communicatione abstinet, magistratus non est, sicut hactenus usi sunt Episcopi: nam totius Ecclesiae est, non quorundam, qui per tyrannidem sibi rerum summam vindicarunt." *Matth.* 18.

Magistratus autem officium in eo est, ut semper memor sit, non esse potestatem, nisi a Deo; oportere, ut id quod verum est vindicet, et pios magno honore habeant; oportere, ut ministri Dei sint „ ad communem iustitiam, tranquillitatemque custodiendam." *Micha* 3. *Rom.* 13.

§ IX.

De Scandalo.

„ *Scandalum* est cum contemptu coniuncta offensio. Fuit autem hactenus non modo in doctrina, sed etiam in ceremoniis."

„ Doctrinae parcendum non est: protinus enim, ut missus es, doctrinam debes vulgare, neque carni, neque sanguini acquiescere. *Gal.* 1. Attamen in docendo tempestivitas maxime spectanda est." 1 *Cor.* 3.

De externis autem ceremoniis observandum est, eorum

„ a-

„ alia esse, quae ad victum pertinent, alia quae ad institutum vitae, alia vero quae ad salutem videntur pertinere, cum nihil sit. Quae ad victum pertinent, offensioni sunt obnoxia facta, Romani Antistitis cauponatione. Quomodo enim aliter adpellem vafriciem istam, qua a quibusdam cibis interdixit, hoc tantummodo fine, ut magno redimere cogeremur, quibus carere non potuimus? *Marc.* 7. *Tit.* 1. 1 *Tim.* 4. *Matth.* 15. *Rom.* 14. — Hic ergo scandali ratio sic est habenda. — Non debemus propter ciborum libertatem committere, ut Euangelium reddatur odiosius (*infirmo enim parcendum est*). Si vero citra turbam et offensionem post sufficientem doctrinam potes edere, licet. *Rom.* 14. 1 *Cor.* 8. *Act.* 16. *Gal.* 2. — Contumacibus vero parcere non possumus. — Si autem pii sunt fratres, nulla est offensio, quicquid edas, modo servaveris modum."

„ In his, quae ad vitae institutum pertinent, debemus omnes innocentissime ambulare, ut bona conversatione nostra, qui increduli sunt, accendantur ad sequendum eum, cuius discipuli tam candide vivunt." 1 *Petr.* 4. *Rom.* 13.

„ In his autem externis (*ceremoniis*), quae ad salutem pertinere videntur, sic est scandali ratio servanda. Debent quae ad salutem videntur quid facere, prodi, quomodo nihil possint, nec sint, haud alia ratione, quam doctrina: sed ita ut eum ante omnia conciliemus, in quo solo conscientiae conquiescunt." — „ Duae vero potissimum viae sunt, quibus indubie docentis animum potes deprehendere. Una —, qua ex fructibus cognoscitur doctor: sive quos ipse prodit, sive quos quaerit *Matth.* 7. Alteram notat Paulus, dicendo: non est enim regnum Dei esca et potus,

tus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu S. *Rom.* 14. — Cuius ergo labor huc tendit, ut publica iustitia vigeat, ut quisque domi suae ante omnia innocentiae studeat, qui totus in hoc est, ut, quoad per nos stet, pax cum omnibus hominibus servetur, ut conscientiae in tranquillum fidei amorisque Dei partum sistantur, ne omni vento circumagantur: cui hoc tantum cordi est, ut omnis tristitudo, quae ex mundanis cupiditatibus orta, mortales divexat, quam longissime exterminetur, quo Christiana hilaritas et gratia inter omnes constet."

§ X.

De Vita futura.

„ Postremo credimus, post hanc vitam, quae captivitas et mors potius est, quam vita, foelicem ac iucundam sanctis sive credentibus, miseram autem ac tristem impiis sive perfidis usu venturam, et utramque perpetuam." *Ioann.* 5. 11. 17.

„ Credimus ergo animos fidelium, protinus, ut ex corporibus evaserint, subvolare coelo, Numini coniungi, aeternaque gaudere. Hic tibi sperandum est, o piissime (Gallorum) Rex, si modo instar Davidis, Ezechiae et Iosiae rerum summam, a Deo tibi creditam, moderatus fueris, visurum esse primum, Numen ipsum in sua substantia, in sua specie, cumque universis dotibus, opibusque illius: fruiturumque his omnibus, non parce, sed ad satietatem, non ad fastidium, quod ferme comitatur saturitatem, sed ad iucundam impletionem, quae perinde non adficitur taedio, atque flumina dum perpetuo in mare defluunt, et per ter-

terrae abysſum refluunt, nullum afferunt rebus humanis taedium, ſed commodum potius ac gaudium ſemper rigando, laetificando, ac nova germina fovendo. Bonum, quo fruemur, infinitum est; infinitum hauriri nequit, ergo faſtium eius neminem potest capere, ſemper enim et novum et idem est. Deinde ſperandum est tibi, viſurum esſe ſanctorum, prudentium, fidelium, conſtantium, fortium, virtuoſorum omnium, quicunque a condito mundo fuerunt, ſodalitatem, coetum et contubernium. Hic duos Adam, redemptum ac redemptorem: hic Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, Iſaäcum, Iacobum, Iudam, Moſem, Ioſuam, Gideonem, Samuelem, Pinhen, Heliam, Heliſeum, Iſaiam, ac deiparam virginem, de qua ille praecinuit, Davidem, Ezekiam, Ioſiam, Baptistam, Petrum, Paulum: hic Herculem, Theſeum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hic antecesſores tuos, et quotquot in fide hinc migrarunt, maiores tuos videbis. Et ſummatim, non fuit vir bonus, non erit mens ſancta, non fidelis anima, ab ipſo mundi exordio usque ad eius conſummationem, quem non ſis isthic cum Deo viſurus. Quo ſpectaculo quid laetius, quid amenius, quid denique honorificentius vel cogitari poterit? Aut quo iustius omnes animi vires intendimus, quam ad huiusmodi vitae lucrum?"

Male ergo Catabaptistae animas contendunt cum corporibus dormire usque ad univerſale iudicium. Qui error hinc venit, „ quod neſciunt, apud Hebraeos *dormiendi* verbum poni pro verbo moriendi" (1).

§ XI.

(1) *Fidei Chriſt. Expoſ.* Op. T. II. p. 559.

§ XI.

De Resurrectione mortuorum (1).

„ Resurrectio mortuorum Hebraeis non semper accipitur pro carnis ista suprema resurrectione —; sed interim pro hac, interim vero pro constantia aut perduratione animae, qua corpore soluta in vita constat ac durat, non somno aut morte depressa; neque enim potest deprimi. *Iehosue* 7. sic loquitur Dominus: *non potuerunt filii Israël surgere coram hostibus suis.* Et paulo post: *non poteris surgere ante hostes tuos.* Hic utrobique ponitur *surgere* pro *consistere* ac *perdurare.* — *Matth.* 22. sic loquitur Christus: *de resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abrahaäm, et Deus Isaäc et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Qua responsione nihil aliud docet, quam vivos esse Abrabam, Isaäc et Iacob, etiamsi essent mortui: quos Sadducaei aut prorsus negabant resurgere, hoc est, vivere. — Non enim quadrat responsio Christi ad resurrectionem carnis, sed ad hoc, quod Abrahaäm, Isaäc et Iacob, etiamsi mortui essent, viverent. *Hebr.* 11. sic loquitur Paulus: *alii vero distenti aut crucifixi sunt, nullam recipientes redemptionem,*

(1) Neque hocce placitum, quatenus de eo senserit Zuinglius, prorsus negligendum videtur, quamquam miramur, de eo nihil reperiri in libro, saepe laudato: M. Huldreich Zwinglis, *sämmtliche Schriften im Auszuge*, auctoribus Leont. Usteri et Salom. Vögelin, qui liber caeteroquin de toto hoc capite conferendus est.

nem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Ecce ut hic resurrectio pro vita animae, quam soluta corpore habitura est, accipitur ad hunc sensum: sic vitam istam, quae hanc sequitur amplexi sunt, ut praesentem nollent, etiam cum offerretur, recipere. Tam constans enim erat fides, ut certi essent, eam, quae sequeretur, meliorem esse. Unde et Christi verbum, quod *Ioann.* 6. habetur: *Ego resuscitabo eum in novissimo die:* non debet in alium sensum detorqueri, quam: ego, dum is moritur, qui me fidit, in vita servabo. Ut vel insinuet, nunquam intermorituros, qui se fidant: vel nunquam non iucundissime pervicturos. Novissimus autem dies isthic non tam est ultimus ille omnium rerum praesentis mundi, quam postremus cuiusque, dum ex hoc mundo demigrat. Id quod *Ioann.* 5. facile deprehenditur: *in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.*"

„ Ad hunc ergo modum Apostolus, 1 *Cor.* 15. occurrit sciolis istis, qui nunc perinde atque illius tempestate prorepunt, ac dicunt, somno quodam animas sepeliri ac teneri, usque ad ultimum iudicium, quod quid aliud sit, quam animae immortalitatem negare, non video. Mos ergo erat gentibus quoque (nam et omnis ferme cura, quam nos pro mortuis gessimus, a priscis gentibus ad nos est translata,) non aliter pro mortuis tingi, atque nos eorum monumenta lustrali liquore humectamus. Probat igitur ex eorum ritu, animas esse immortales. Nam si minus hoc permittant, iam contradicere publicae consuetudini, qua quidam pro mortuis sese tingant, quod si mortuorum animas crederent simul cum corpore extinctas, non baptizarentur pro eis. Non quod Paulo probetur ista baptizandi consuetudo: sed ut adversarium suo iugulet gla-

dio,

dio, cum ſe ritum obſervare inficiari nequit, quo ſe putat mortuis prodesſe. Unde colligitur: ergo mortuorum animae vivunt: estis enim pro eis ſolliciti. Si vero nunc dicas, videri tibi Paulum eo loci de publica reſurrectione loqui; Reſpondeo: me non inficiari, propter omnium doctorum huius loci expoſitionem, Apostolum de utraque reſurrectione promiscue loqui: ſicut et Christus, *Matth.* 24. promiscue et de ultimo adventu ſuo, et de iis, quae per eam aetatem, quae est inter priorem eius adventum ac ſecundum, eventura ſunt, pleraque disſerit. Ut interim non dicam, quae Paulus in hoc loco de corpore ſpirituali dicit, posſe de anima potius, quam corpore ſenſibili intelligi: ſicut et alio loco dicit: *in Christo habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter*, non quod Deus ſit corpus, ſed quod corpus Apostolo accipiatur pro esſentia, velitque dicere, per esſentiam Christum esſe Deum. Sicut Germanice quoque dicimus: *er ists lyplich*, id est, ipſe vel ipſisſimus est Deus. Conſimilique hic modo dicat, moritur corpus animale ſive terrenum, et reſurgit, hoc est *vivit*, mortuo ſcilicet terreno corpore, corpus ſpirituale, hoc est ipſa animae ſubſtantia. Sed quoniam multa videntur obſtare, quae isthic loci habentur, nihil temere adſero: ſimul etiam ne videar Manichaeis adhaerescere, qui mortuorum, hoc est carnis, reſurrectionem negant. Quae tamen ex aliis probari locis posſet, etiamſi iste locus de immortalitate animae tantum intelligeretur." (1)

Iam

(1) Vid. *Elenchus*, in *Catabaptistarum Strophas. Epp.* Zuingl. *et* Oecolamp. p. 112. Zuinglii, Op. T. II. p. 38. *a.* Cf. *Epp.* l. l. p. 19. *Apologia Compl. Iſai.* Op. T. III. p. 247. *b. Prooem. in* 1 *Cor. XV.* Op. T. IV. p.

Iam ex ipsius Zuinglii ore eius cognovimus doctrinam. Fusius forte in eo fuimus, quam ferant fines Dissertationis; ast propter rei momentum in illius doctrinae expositione accurate et dilucide versandum esse putavimus. Quae vero hisce deësse videantur, facile mente concipi possunt.

CAPUT QUARTUM.

THEOLOGI HELVETII, QUI IN EMENDANDIS SACRIS OPEM TULERUNT *ZUINGLIO.*

Hactenus ipsum Zuinglium Reformatorem nobis proposuimus, ipsamque, quam instituit, Reformationem. Verum, dicat forte aliquis, plura eorum, quae memorasti, non uni Zuinglio, sed aliis item Theologis sunt tribuenda: quae sane negare non ausim. Neque tamen illa ad imminuendam Zuinglianae Reformationis vim aliquid valent. Omnes enim iisdem imbuti fuerunt studiis, eandemque universe indolem expresserunt; Zuinglius vero caeterorum Theologorum dux fuit et antesignanus. Quo rectius igitur deinceps iudicium instituamus de indole ipsius Reformationis, a Zuinglio institutae, videamus oportet, quatenus, qui opem ei tulerunt, eadem

p. 483. *Sermo primus Bernae habitus.* Op. T. II. p. 527. *a.* 534. *b.* alibi.

dem essent sentiendi agendique ratione ce
quatenus in eos vim habuerit Zuingli
vero breves esse licebit. Non possumus
nibus, qui in emendandis sacris ei fav
opem tulerunt, peculiariter agere. Nomin
sufficiat Bintzlium, qui in urbe Wezen, [illegible] rei praeclaram navavit operam; Vittenbachium, qui Bilensium exstitit Reformator; Tscudium, qui Glaronae idem opus aggressus fuit; Vadianum, qui de S. Gallensibus optime fuit meritus; Lüthium et Chalybeolum (Stäheli), quos supra (p. 89.) iam verbo memoravimus; porro Huttenum, Myconium, Ceporinum, Pellicanum, Carolostadium, Bibliandrum, Gualtherum, quorum conamina summis omnino digna sunt laudibus. Prae hisce autem Leonis Iudae, Oecolampadii, Halleri, Capitonis, Buceri, Farelli, Bullingeri merita celebranda esse videntur, de quibus nonnulla breviter notabimus.

§ I.

Leo Iuda.

Amicus hic Zuinglio iuveni fuit studiorumque comes fidelissimus (1), et vero etiam eius in sacro mu-

(1) Leo Iuda, e Rappolsvillano oriundus, a teneris inde annis proficiendi studio ducebatur. Theologicae disciplinae operam dedit Basileae, Vittenbachio duce. Artium autem et Philosophiae Magister Aº. 1512. solenniter renuntiatus est.

munere apud Monachos Eremitanos successor (1). Institutus autem sedula lectione S. Cod., Patrum etiam, qui dicuntur, scriptorum, librorumque nuper ab Erasmo, Capnione, (Reuchlino) et Luthero editorum, eadem prorsus incessit via, quam sequebatur Zuinglius. Magni profecto hic eum aestimavit; quare eum deinceps Tigurum arcessivit, effecitque, ut sacro in aede Petrina fungeretur munere. Ita communibus gaudebant laboribus; mutua amicitia ducti rerum facilius discrimina ferebant, ac se invicem excitabant ad consilium, quo tendebant, constanter persequendum. Ore autem et scriptis, imprimis opera in vertendo S. Cod. imposita, et edendo suo in usum iuventutis *Catechismo*, nominis celebritatem nactus est. Tam feliciter omnino in emendandis sacris laboravit, ut inter primarios eum Helveticos Reformatores numerare haud dubitemus. Quo vero animo fuerit, intelligitur e verbis, quae coram Tigurinis Professoribus et Antistibus iamiam moriens effatus est: „ *Iesu Christo*, domino et liberatori meo, spei et saluti meae, me totum anima et corpore dedo et offero, huius misericordiae et gratiae innitor, huius promissionibus et aeternae veritati, meis omnibus diffidens, totus confido et secure immorior, sperans firmiter, ipsius me beatissimo illo et iam diu aliis praedicato, mihique desideratissimo fruiturum consortio, in quo est gaudium plenissimum et laetitia sempiterna." Deinde Deo gratias egit

(1) Male nonnulli eum putant Zuinglii fuisse hoc in monasterio collegam; quod ex ipsius Zuinglii patet ad Leonem Iudam d. 15. Decembr. 1518. data Epistola, quam vide apud Hottingerum, l. l. T. VI. p. 363 sqq.

agit pro omnibus, in eum collatis beneficiis, peccatorum imploravit remisſionem, Deoque Senatum Populumque Tigurinum, uxorem etiam, viduam mox futuram, liberosque ſuos magna animi affectione commendavit. Collegas autem admonuit, ut prudenter ſe et conſtanter gererent. Pietate Leo eminuit, flagravit amore veri, animo fuit praeditus leni et forti ſimul, prouti res ferebat et ratio. De eo dicere ſolebat Zuinglius, corpore eum fuiſſe exiguo, at indole leonis (1).

§ II.

Iohannes Oecolampadius.

Iam ad Oecolampadium, Baſileae Reformatorem, transeundum est, quippe qui Zuinglio coniunctisſimus fuit, eique haud immerito dicitur talis fuiſſe, qualis Luthero Melanchton (2). Amici-

(1) Obiit A°. 1542. *Miſc. Tigur.* T. III. p. 1 ſqq. Adamus, in *Vita.* Gerdes, l. l. p. 107 ſqq.

(2) Iohannes Oecolampadius (Hausſchein) Winspergae, Cheruſcorum oppido, A°. 1582, natus est. Magnae ſpei iuvenis in Academia Heidelbergenſi Literis incubuit: deinceps vero, ut Iuridicae disciplinae ſe dicaret, Bononiam profectus est. Animo autem cum in Theologiam ferretur, Heidelbergam reverſus, magnos in illa fecit progresſus, imprimis vero etiam in Literis Graecis et Hebraicis. Primum quidem Winspergae ſacris praefuit; deinde, auctore amico Capitone, Baſileam (1514) vocatus est. Hic autem huius Academiae Moderatores ſummos in Theologia honores in eum contulerunt. Non diu Baſileae ſacro munere functus est, ſed Augustam Vindelicorum discesſit. At nimis modestus et

citiam etiam ille contraxit cum Erasmo Roterodamensi, eo tempore Basileae vitam degenti, cui in conficiendis *in N. T. annotationibus* suam praestitit operam, quemadmodum ipse Erasmus testatus est. Ab eodem igitur hocce veluti praeceptore et Zuinglius et Oecolampadius multum profecisse dici possunt. In eo autem multo magis convenerunt, quod divinam doctrinam bene ipsi intelligere conarentur, et intellectam alios docere, suamque sentiendi agendique rationem ad Christi exemplum componere. De rebus quibuscunque alicuius momenti inter se invicem consilium habuerunt. Contra adversarios communem rem egerunt. Uti autem Zuinglius ingenii aestu subinde abripiebatur, ita mitiori potissimum ratione procedebat Oecolampadius. „Vitae cursum tenuit perpetuo vir sanctissimus verum, simplicem, sincerum, aptum pietati, appositum iuvandis hominibus, promovendo regno Dei, impugnando Satanae molimina. Illa eadem ratio morienti per omnia constitit immota, certa, invariabilis." Ingenii ve-

et timidus fuit homo. Quo factum, ut consilium ceperit recedere in locum, ab hominum fere consortio remotum, quo studiis vacaret. Itaque per biennium in monasterio Altonis commoratus est; tum vero, ut amicorum admonitionibus tandem satisfaceret, se contulit ad Franciscum a Sickingum, virum illum hospitalitate et heroica virtute clarum. Ubi autem ille infausto bello fuit implicitus, Basileam (1522) Oecolampadius rediit, ibique et in coetu Antistes exstitit, et in Academia Theologiam docendi provinciam suscepit. Eodem fere, quo Zuinglius, tempore e vita discessit Oecolampadius.

vero acumine et doctrinae copia sese quam maxime commendavit, cuius rei documenta sunt eius varii argumenti scripta. Prudenter Basileënsem Reformationem instituit. Magna autem eius nominis fuit celebritas, ut undique ab eo consilium peterent viri eruditi, ipseque adeo Erasmus, si aliquando ad Reformatorum partes transiturus esset, se ab eo potissimum persuasum iri affirmaret. Basileënses eum grato animi sensu emendatae Ecclesiae parentem recordari solent (1).

§ III.

Bertholdus Hallerus.

Is Bernatibus fuit Reformator, idemque Zuinglii et animi et consiliorum particeps (2). Pietate et doctrina multos sui temporis Sacerdotes longe anteivit, eloquentia omnes vicit. Neque orationibus tantum sacris Reformationis causam promovit; sed in defendendis etiam purioris doctrinae placitis strenue versatus est. Ita una cum Oecolampadio disputationi, Badenae publice habitae, interfuit; ita etiam in illa, quae deinceps Bernae instituta est, suas egit partes.

(1) Vidd. de D. *Ioannis Oecolampadii obitu per* Simonem Grynaeum; et *eiusdem I. Oecolampadii vita per* Wolfgangum Capitonem. Uterque libellus praemissus est I. Oecolamp. et H. Zuingl. *Epp.* Adamus, in vita.

(2) Vidd. *Epp.* Zuingl. *et* Oecolamp. v. c. p. 19. 38. 77. alibi. Quod autem diximus de Zuinglio et Hallero, item valet de Oecolampadio et Hallero.

tes. Immatura autem morte occubuit (A°. 1536, aet. 44.), magno fui defiderio omnibus relicto (1).

§ IV.

Wolfgangus Fabricius Capito.

Hunc Theologis Helvetiis accenfemus, quia ita cum illis coniunctus erat, ut eandem fere fequerentur cogitandi agendique rationem, mutuamque fibi opem ferrent.

Oecolampadio imprimis Capito amicisfimus fuit. Optime autem cum de aliis, tum maxime de Argentoracenfibus fuit meritus. Inter Bafileënfes autem docendo disputandoque prima Reformationis fundamenta iecisfe dici potest (2). Fuisfe videtur vir probus, prudens, eloquens, omnium Literarum cupidis-

(1) Adamus, in vita.

(2) Iuvenis naturae quodam impulfu in Theologica ftudia ferebatur. Quod patri displicuit, de depravatis Clericorum moribus folicito. Medicinae igitur disciplinae ftudium navavit, in qua fummos deinde confecutus est honores. Mortuo autem patre, ita fe denuo ad Theologiam applicuit, ut huius etiam disciplinae doctor crearetur. Bruchfella, regionis Spirenfis oppidulo, ubi aliquamdiu facra ministraverat, Bafileam vocatus est. Deinde Concionator et Confiliarius (five Cancellarius) Archiepiscopi Moguntini factus est. Tum vero Iuris Ecclefiastici doctor est creatus, ut *et Christi regnum promovere, et halcyonia Ecclefiae facere* posfet. Verum cum videret, fe, id, quod volebat, hic asfequi non posfe, relicta Moguntia Argentoratum (1523) profectus est, ubi in aedibus S. Thomae facro munere fungeretur. Hac in urbe diem obiit fupremum.

dissimius, pacis studiosissimus. Saepissime ipsum Lutherum admonuit, ut moderatius ageret. Nam: „ quod alte haeret," inquit, „ non semel evellitur, „ sensim est et subinde labefactandum, ut tandem sequatur trahentis manum." Ita alibi etiam ei consilium dedit, ne nominatim Praelatorum vitia notaret; facturum enim id sine exemplo, et necessario praeter verum multa ficturum: exasperantur nimirum (ita pergit) potius animi insectatione, quam curantur (1).

§ V.

Martinus Bucerus.

Incidimus iam in Buceri mentionem, qui propterea memorandus est, quod ille imprimis varia instituit conamina Lutherum et Zuinglium secum invicem conciliandi (2).

Inter primarios Ecclesiae Argentoracensis restauratores

(1) Adamus, in vita.

(2) Selestadium, Alsatiae oppidum, Martini Buceri urbem patriam fuisse accepimus. Iuvenis sese Dominicanis adiunxit. Quod vero non impedivit, quominus Literarum et Theologiae studio naviter operam daret. Mire autem ei placuerunt Erasmi et Lutheri scripta, quibus ad ipsum legendum S. Cod. est adductus. Primum quidem Heidelbergae sacrum munus obiit, deinde vero variis fortunis iactatus fuit. In Monachorum enim incurrerat invidiam. Tandem eum una cum Capitone et Hedione libenter susceperunt Argentoracenses. A Thoma Cranmero in Angliam vocatus, obiit A°. 1551.

res Bucerus censendus est. Interfuit autem notissimo colloquio Marpurgensi, qua opportunitate omnem movit lapidem, ut animorum de sacra coena dissensionem conciliaret. Eandem ob causam deinceps multa ad Lutherum et Zuinglium fecit itinera. Tandem variis ultro citroque habitis colloquiis, *Capita Concordiae* Vittenbergenses inter et superioris Germaniae Theologos, auctoribus Melanchtone et Bucero, constituta sunt. Hisce Lutherus, Capito aliique calculum suum adiecerunt, negarunt vero Theologi Helvetii, qui amorem Christianum maxime sectandum esse, nec tamen, ut eum colerent, veritati vim inferendam esse censuerunt. Timuerunt autem nonnulli viri docti, ne Bucero, concordiae cum Luthero conciliandae ardore abrepto, idem accideret, quod illis accidere solet, qui prae nimia vini aviditate feces etiam haurirent. Caeterum adversus Pontificios strenue Reformationis causam vindicavit. Quo factum etiam, ut sese quam maxime opponeret decreto illi, quod *Interim* dicitur, in quo nimium ei videbatur concessum esse Pontificiis. Hinc in magno vitae periculo versabatur, quod se in Angliam recipiendo feliciter effugit. Inter praestantissimos autem illius aevi Theologos Bucerus habitus est. Eo erat ingenio, ut adversarios patienter audiret, leniter iis responderet, pacis et veritatis potiorem, quam victoriae curam haberet. *Morte docet, vita docuit, Christum esse sequendum* (1).

(1) Adamus, in vita.

§ VI.

§ VI.

Guilielmus Farellus.

Nec Farellus omittendus est, qui, propter suas de Religione sententias e Gallia in Helvetiam profugus, hac opportunitate cum Zuinglio, Oecolampadio, Hallero, aliisque amicitiam contraxit, et vinculum veluti constituit Zuinglium inter et Calvinum. Nullis ille difficultatibus fractus, nullis minis, convitiis, verberibusve denique territus. Sacrorum Emendationi inter Mompelgardenses, Aquileienses, Lausannenses, Genevenses, Novocomenses quam maxime profuit. Quum vero una cum Petro Vireto Genevensibus puriorem Religionis doctrinam denuntiaret, eius imprimis gravissima admonitione factum est, ut, qui cum Luthero et Zuinglio pari honore haberi solet, Iohannes Calvinus in eadem hacce urbe sacrum munus obiret, indeque per varias regiones vim suam exsereret. Ut autem, quis fuerit Farellus, rite intelligamus, ex duabus Oecolampadii epistolis nonnulla hic adducere lubet.

„ Farello nihil candidius est. Sunt, qui zelum „ eius in hostes veritatis mitigatiorem vellent: verum „ ego virtutem illam admirabilem, et non minus pla- „ ciditate, si tempestiva fuerit, necessariam, vel „ nunc tandem crediderim."

Haec ex epistola, ad Lutherum data, desumta sunt (1). Alteram epistolam ad ipsum Farellum conscripsit Oecolampadius.

„ — Gaudeo mirum in modum, rem Christi per te „ in-

(1) *Epp.* Oecolamp. *et* Zuingl. p. 200. *b.*

„ incrementa isthic sumere: et precor, ut, qui per
„ te plantat, plantata riget, ac custodiat a vulpeculis
„ et apro devastante, singulari illo inquam. Bene,
„ quod tam uberem agrum nactus es, et quod tam
„ brevi seges provenit: sed tum beati erimus, si fructum Christi attulerit, si spes non elusa fuerit: aut
„ saltem nostra culpa, et fidele, nunquam male audire coeperit. Dabis operam, non ut doctos, sed
„ ut bonos, hoc est, vere doctos et θεοδιδάκτους
„ multos gignas. Facile enim est, aliquot dogmata
„ auditorum instillare et inculcare auribus: animum
„ autem immutare, divinum opus est. Ante omnia
„ igitur necessarium, precari Spiritum S., et uno talento nostro lucrificare nobis alterum. Qui unum
„ talentum habet, defodit in terra. Cui duo is alia
„ duo lucrabitur. Quodsi lucrari voluerimus, opus
„ erit mansuetudine, patientia, charitate, et fide imprimis: opus erit et prudentia, non carnali, sed
„ sancta, quae desursum descendit, quae exemplo
„ Christi nos omnium moribus accommodare facit.
„ Sed quid te moneo, qui Spiritui monitoris obtemperabis." caet. (1).

Pietate autem, doctrina, modestia insignis fuit, praeditus singulari quadam animi praesentia, ingenio acri. Laudatur praeterea in eo sermonis vehementia, ut tonare potius, quam dicere videretur; ardor denique in precando tantus, ut auditores in coelum usque quasi transferret (2).

(1) *Epp.* Oecolamp. *et* Zuingl. p. 200. *a.*
(2) Adami, *vitae Theologorum Exterorum*, in vita.

§ VII.

§ VII.

Henricus Bullingerus.

Zuinglii hic succesfor, qui, quod ille reliquit, stabilivit, suo iure huncce occupat locum. Illius enim immaturam infaustamque mortem omnes, quibus res Christianae esfent curae cordique, quam maxime lugebant. Quo autem Tigurinorum proceres cladem, quoad eius fieri posfet, reficerent, eundem illum, quem ipse Zuinglius, humani quid si forte ei in praelio accideret, commendaverat fuccesforem, Henricum Bullingerum libenter vocarunt. Ille Lutheri scriptis, Zuinglii praeterea consuetudine institutus, in constituenda, quae iam emendata prodierat, Ecclesia, prudenter et viriliter procesfit. Ore et scriptis huic rei operam navavit. Ingenio fuit leni, in docendo perspicuus et simplicitatis amans, osor spinosarum quaestionum, in sermone humanus et comes, ut erga omnes, ita etiam erga peregrinos, quos salutandi aut interrogandi causa advenientes libens admisit. Egregius imprimis fuit in administrandis rebus, ad Ecclesiae commoda ducentibus. In convictu frugalis et temperans, hilaris tamen et iucundus omnibus, ut qui semper adferret aliquid, quod delectare et iuvare posfet. Rara fuit industria, ut otiosus esse nunquam posfet. Non mirum igitur, talem virum eximie profuisse Societati Christianae, et mox cum sacrum in se susciperet munus, eundem ipsi animum fuisse, quo ductus fuerat Zuinglius, iisdemque, quae ille presferat, institisse vestigiis. In eo continuo suam operam collocavit, ut in Tigurina civitate Sacrorum Ministri haberentur bene instituti, et bonis mo-

moribus confpicui; ut iuvenes ubique in Religionis doctrina bene edocerentur; ut discordia pelleretur, et amor vigeret Christianus; ut a Senatu mandata ederentur, ad mores emendandos comparata; ut cultus facer ita conftitueretur, quo maiores inde fructus perciperent Christiani; ut omnes Helvetiorum coetus formulam haberent, fimplicitate fua fefe commendantem, qua quid credendum esfet, conciperetur. Verbo, talem fefe praeftitit Bullingerus, qualis, fi in vivis fuisfet, ipfe acturus fuisfet Zuinglius; talem fefe praeftitit, qualem fummo honore habere et amicitia complecti ipfe Calvinus omnino dignum cenfebat (1).

(1) Adamus, in vita. Ruchat, l. l. T. III. p. 442 fqq. S. Hefs, l. l. S. 86 fqq.



PARS

PARS TERTIA.

INDOLES SACRORUM EMENDATIONIS, A *ZUINGLIO* INSTITUTAE.



Descripsimus ipsam, in Helvetia institutam, Sacrorum Emendationem; iam vero, quaenam illius sit indoles, exponendum est, id est, quaenam illius fuerit ratio et conditio, quomodo illa processerit, et quaenam illius sint proprietates, sive illas privas habeat, sive cum caeteris communes; quibus cognitis, ni fallar, veram et dilucidam huius Reformationis imaginem nobis effingere poterimus. Est haec sane gravissima nostrae Dissertationis Pars. Huc enim omnia, quae in superioribus iam exposuimus, tendunt. Complectemur igitur hac Parte, quae supra aut obscure significavimus, aut diserte docuimus, omninoque id agamus, ut uno velut intuitu tota haec res perspici possit. Nititur autem universum *huius* Partis argumentum iis, quae in superioribus exposuimus; a quibus continue allegandis, nobis erit abstinendum.

§ I.

Exstitit praeter Germanicam, alia eaque Helvetica Sacrorum Emendatio.

Est haec Germanicis gentibus propria virtus, ut summo ferantur libertatis ardore. Referebatur ille ad universam earum conditionem politicam, socialem, li-

terariam, ecclesiasticam. Hinc ab eo inde tempore, quo politicam libertatem vindicare studerent, illae potissimum gentes protulerunt Reformatores; Hierarchiae iugum diutius ferre noluerunt; sensu morali incitatae, profiteri haud amplius potuerunt doctrinam illam, Hierarchiae et superstitionis ope depravatam, sibique diu reconditos aperire studuerunt optimos divinae sapientiae thesauros, Codicem S. — Miramur autem, saepissime ab optimis etiam auctoribus in eo peccari, quod rerum hancce, quae inter gentes illas Germanicas exstitit, commutationem ex una Saxonia originem duxisse dicere soleant. Quid, quod in egregia sua Dissertatione ipse Villersius de *Reformatione* agens *Lutherana*, non unam hancce, strictiori sensu sumtam, ob oculos habuerit. Non negamus, Lutheranam illam maiorem in gentes Europaeas exseruisse vim; verum non omnis Reformatio, quae in Europa invaluit, e Saxonia repetenda est, ut uno illius nomine mente concipi possit ac debeat. Duplicem vero rite distinguimus in Europa Saec. XVI. Reformationem, Germanicam alteram, alteram Helveticam. Prodiit scilicet emendata Sacrorum ratio in Germania cum superiori, tum inferiori. Tellii posteri, sua propria vi excitati, rem commutarunt. Et situ quidem, indole, moribus apti erant illi, qui ipsi Reformationem constituerent (cf. P. I.). Itaque cum ex Helvetia, tum e Saxonia idem illud gentium desiderium ad caeteras gentes processit, eademque de rebus sacris cogitandi sentiendique ratio propagata est.

Namque utraque illa non aequiparanda est Reformationi, quae in Belgio, in Anglia, in Dania, in Suevia obtinuit. Rivuli enim sunt, ex istis fontibus deducti. Scilicet postquam iam Sacra emendare in-

ce-

ceperant, novamque instituerant societatis formam Lutherus et Zuinglius; praeclari in caeteris illis regionibus exstiterunt viri, qui, horum aliorumque scriptis imbuti et exemplo excitati, eidem operi manus admoverunt. Populi autem ipsi non adeo obstiterunt, sed faverunt quam maxime illorum conaminibus. Quo factum est, ut in gentibus hisce septentrionalibus sponte rite constituta prodierit Protestantium Ecclesia. Nec vero ex duabus illis primariis coniunctam, delectu habito, unam conflarunt societatem. Prouti enim magis sive Lutheri, sive Zuinglii, aliorumque deinceps opinionibus adhaeserunt, ita etiam magis sive illius sive huius ceterorumve partes secuti sunt. Itaque redimus, unde deflleximus, Reformationem nimirum Zuinglianam pari honore habendam esse ac Lutheranam. Propria enim sua vi, vel ante Lutherum, exstitit Zuinglius, et melioris rationis studia inter populares excitare conatus est. Nunquam ab illo consilium petiit, et vero etiam ne illius quidem scripta unquam legit. Ab ipso veluti Christo institutus, sua ratione processit. Quo factum, ut eius Reformatio non posset non peculiarem induere formam.

Ex dictis autem sequitur, Zuinglium hac in caussa recte cum Luthero et Calvino, non adeo cum Oecolampadio, Beza, Cranmero, aliisque posse comparari, qui, quamvis de Ecclesia Christiana optime sint meriti, in eo tamen minori loco habendi sunt, quod non propria sua vi excitati agerent, verum sese sive ad illius, sive ad Lutheri, sive ad Calvini exemplum componerent, quorum adeo conamina non tantam in gentes exseruerunt vim et efficacitatem, quantam habuerunt illorum instituta. Quae vero ad caeteras gentes transiit Reformatio

 si-

ſive e Saxonia, ſive ex Helvetiâ oriunda, *primaria* dicenda est, *ſecundaria* autem, quae inter huius illiusve regionis limites conſtituta est.

Haec de univerſa huius Reformationis indole obſervanda videbantur. Iam, age, peculiares quasdam eius indolis proprietates attendamus.

§ II.

Zuinglio, *primo Helvetiae Reformatori, opem tulerunt alii.*

Cunctis, uti antea vidimus (Part. I.), praeparatis, duce tantum indigebant Helvetii, qui prorſus compoſitus ad eorum indolem, eorum ſuccurreret deſiderio. Iam arduum illum Zuinglius ſuscepit laborem. Ipſe Helvetius, Helvetiorum mores retulit. Degit in Helvetia Germanica, eiusque parte ſuperiori, ubi facillime commercium habere potuerit cum ipſis Germanis. Verſabatur vèro potisſimum Tiguri, ubi liberalior dominabatur, et ſimplicior ratio, quae egregie valuit, ut ſuum asſequeretur conſilium.

Ast ubi Helveticam Reformationem, eamque a Saxonica diverſam, ſignificamus, eam ad unum referimus Zuinglium. A Zuinglio eam dicimus inſtitutam, ratione habita univerſae Reformationis Helveticae, quippe ille primarius eius fuit auctor et vindex. Non est igitur, quod caeterorum Theologorum, Oecolampadii, Buceri, Bullingeri, aliorumque laudibus quidquam detractemus. Zuinglii hi fuerunt amici, eiusdem laboris et curae participes; iisdem ducti fue e ſtudiis, eodem animo ad idem opus accesſerunt, eandemque doctrinam propoſuerunt. Quam enim

enim Theologi illi Helvetii, supra memorati (P. II. c. IV.) de Coena Sacra, de Ecclesiae forma, de disciplina ecclesiastica eandem fere tulerunt sententiam, haec in multis discrepabat a placitis Germanicorum Theologorum, vel eorum, qui deinceps in Helvetia meridionali floruerunt. Quapropter in diiudicanda vi horum Theologorum in ipsam Reformationem non anxie quaerendum est, quid Oecolampadio, Bullingero, quid ipsi Zuinglio sit tribuendum, cum vix illud definiri possit.

Sic igitur Sacrorum Emendatio, a Zuinglio instituta, horum aliorumque coniunctis laboribus processit.

§ III.

Zuinglius *eiusque amici Sacrorum emendandorum auctoritatem habuerunt.*

Non ita de Theologis Helvetiis existimandum est, ut novam instituere doctrinam, atque ita nominis celebritatem sibi parare studuerint. Quam magnopere depravatam observabant Religionis et Ecclesiae conditionem, quod melioris rationis desiderium ubique deprehendebant, his intime ipsi afficiebantur. Quo factum, ut ad magna quaeque excitarentur, et multis nominibus primitivam Ecclesiae Christianae conditionem laudarent, eandemque restituere conarentur.

Variae, quae omni aevo ubique exstiterunt, rerum commutationes, non omnes legitimam prae se tulerunt auctoritatem. Aliae scilicet in unius alicuius voluntate positae erant, qualis quae Athenis exstitit Pisistrato auctore, quaeve, I. Caesare auctore, Romae fuit orta. Aliae autem e liberis populi suffragiis aucto-

primatem acceperunt, sic v. g. quum Solon Athenis novam induceret Reipublicae formam, idemque Lycurgus Lacedaemone institueret. Non eadem vero fuit ratio illius, quae medio Saec. XVII. in Anglia locum habuit commutationis. Eversa enim Republica, auctore maxime Moncio, Monarchia in eam conditionem, qualis ante Cromvelli factionem obtinuerat, restituta est. Sin autem spectes vel antiquas imperii leges (de quarum aequitate non disputamus), vel universi temporis opportunitatem, vel ipsius Moncii auctoritatem, vel denique modum, quo eam suscepit et constituit, eam iure susceptam et constitutam esse dicas, oportet.

Haec quidem ad res civiles pertinent. Verum Angliae illud exemplum non male in rem nostram allatum videtur. Docuimus antea, Sacrorum in Helvetia Emendationem necessariam omnino fuisse, simul vero ad eam aliquando constituendam omnia fuisse praeparata (P. I. c. III.). De ratione autem, qua Zuinglius eiusque amici in ipsis Sacris emendandis processerunt, paulo post nonnulla in medium protulimus. Cum vero ubique probissimi homines melioris conditionis ferrentur desiderio, ducibus tantum indigebant Helvetii, qui eos ad rem gerendam excitarent, eosque in rectam viam adducerent. Tales autem exstiterunt Zuinglius eiusque amici. Hi enim universe ipsam retulerunt Helvetiorum indolem, quo facilius ad eorum sentiendi agendique rationem sese possent accommodare, eorumque studia bene explicare et moderari.

Verum enim vero negare solent Pontificii, Reformatores, qui dicuntur, ulla prorsus fuisse instructos auctoritate, qua sese a Romana Ecclesia seiungerent, novam-

vamque conderent societatem. At non est, quod diu hac de re disputemus. Profecto non eiusmodi auctoritatis in iis specimina desideranda sunt, quemadmodum cernuntur in Mose, Iesu Christo, eiusque Apostolis. Repetenda scilicet illorum auctoritas ex ipsa illa corrupta Ecclesiae Christianae conditione, quae quidem cuivis Christiano, multo vero magis Religionis doctori officium imponeret id agendi, ut primitiva restitueretur Ecclesiae forma. Cum enim, quae instituerant Christus eiusque Apostoli, unusquisque, in S. Cod. versatus, animadverteret istis temporibus fere negligi, contra valere maxime hominum traditiones et celebrari hominum instituta, omninoque perire fere ipsam Religionis Christianae indolem, unde, quaeso, maior ei, quam quae ipsis nitebatur effatis divinis, existere posset auctoritas depravatam rei conditionem ad Christi consilium emendandi?

Verum alia habere sibi videntur Pontificii, quae Reformatoribus obiiciant. Negant enim eos bono consilio ad rem gerendam fuisse inductos, multumque in eorum ingenio et moribus reprehendere solent. Videant autem, velim, ne historiae vim inferant, neve in genus humanum iniuriosi sint. Vitiis certe neque Zuinglius, neque eius amici immunes fuere. Largimur, et eos errare potuisse, et vel errasse saepe invitos in ipsa quam proposuerunt doctrina. Quod vero non lubet hic fusius exponere, tum quia hanc in rem eorum doctrina institutaque essent conferenda cum progressibus, quos hac aetate fecerunt Theologi in disciplina hermeneutica, inque caeteris huic coniunctis, id, quod limites excederet nostrae Dissertationis; tum vero quia istiusmodi institutio minus conveniret videtur iuvenili, quae decet, modestiae. Caveamus au-

autem, ne nimia Reformatores prosequamur veneratione, aut divinam quandam auctoritatem iis conciliemus! Non illud imprimis honori ducimus, quod Zuinglii simus discipuli; sed in eo potius exsultamus, quod Christum nobis audire liceat, docentem, monentem, adhortantem. Sin vero in Zuinglii mores et dissolutam vivendi rationem animadvertere sese posse putent Pontificii; quid maledico dente Zuinglium iuvenem carpant Pontificii, dum Augustinum, iuvenem scilicet lascivis olim moribus, in coelum laudibus extollunt, et piam eius suo iure celebrant memoriam? Sin vero, historia duce, Reformatorum indolem indagemus, nihil universe deprehendimus istiusmodi viris indignum. Observamus enim ingenium promtum, rerum divinarum humanarumque cognitione bene excultum, dicendi et caussam religionis vindicandi facultate praeditum; porro animum sincerum, veri studiosissimum, modestum, nulla lucri cupiditate abreptum, pium, fortem et constantem. Iis inerat Spiritus Dei Christique, qui, quippe sanctus, ad sanctitatem eos adducebat. Christum sibi ob oculos proponebant Conservatorem, doctorem, dominum, iudicem, et ad Eius exemplum omnem vivendi rationem componere studuerunt. In rebus quidem minoris momenti diverse agebant pro diversa cuiusque indole; universe vero eodem animo ducebantur, quippe omnes in iisdem fere rerum περιστάσεσιν erant collocati, et amicitiae inter se vinculo coniuncti.

Hisce igitur viris divina usa est Providentia, qui Sacra Christiana magnopere depravata emendarent. In eo autem eandem etiam providam Dei curam laudamus, quae horum quemque variis vitae fatis ita instituit, et op-

opportunis ubique locis ita collocavit, ut inde maximos non posset non percipere fructus Ecclesia Christiana.

§ IV.

Primarium Reformatoris consilium fuit in doctrina et moribus emendandis, et in oppugnanda Hierarchia.

Ex iis, quae de Zuinglio Reformatore diximus, facile evincere possumus, quid ipse sibi hac in re proposuit. Est ea ingenii humani ratio, ut sive in bonam sive in malam partem procedat, a tenuibus saepe incipiat initiis, ipse fere nescius, quousque tandem incepta duci possint. Hoc igitur modo Zuinglius exstitit Reformator. Veri imprimis studio ductus ad Theologicam transiit disciplinam. Mox de nonnullis Ecclesiae Romanae placitis, auctore Vittenbachio, dubitare coepit. Incidit deinde in S. Cod., Patrum Ecclesiasticorum, Erasmi, aliorumque scriptorum lectionem. Iam in varios errores lapsos esse Theologiae doctores, laicos vero gravissimarum rerum ignorantia teneri, valde commotus deprehendit. Huic rei dolor accessit de moribus quam maxime corruptis. Cuncta autem haecce aequo animo ferre ingenium eius fervidum non finebat. Quare vires intendit, ut meliora doceret laicos moresque emendaret. Quibus vero obiectus erat difficultatibus, inducebatur, quo prudentius procederet, et superioris ipsius ordinis clericorum opem imploraret. Neque enim initio a Romana se seiungendi Ecclesia, novamque condendi sodalitatem consilium habuit; contra, quoad eius fieri potuit, tentavit,

vit, ut ipse tandem Reformationem instituerct Pontifex Romanus. Postquam vero animadvertisset, et Pontificem, et Episcopos, et caeteros clericos quam plurimos vehementer ab omni emendandi studio esse alienos, tum demum ipse manus operi admovendas, et ulterius, quam hucusque egerat, rem perducendam esse existimavit. Iam depravatam Ecclesiae conditionem imagine quasi depinxit, et cuiusvis generis homines supplex rogavit, ac per Dei Christique amorem, per aeternam felicitatem, obtestatus est, ut errores, vitia, et omnem pravam vivendi rationem missa facerent, ut uni S. Codici adhaererent, ut fidem factis patefacerent. Vidit autem, omne eius emendandi consilium, quamdiu firma et inconcussa staret Hierarchia, vanum futurum; quocirca omnem lapidem movendam esse monuit, ut ingentem istam praecipitem darent molem. Quum vero cuncta haecce instituerct, et mox etiam eius conamina apud vulgus ipsumque adeo Magistratum probarentur, non potuit non inde sensim existere nova societatis forma.

§ V.

Firmissimum Reformationis fundamentum in S. Codice fuit positum.

Quo rectius et indoles et dignitas ipsius Reformationis vindicentur, hocce argumentum dignum censemus, quod singulari loco tractemus, quandoquidem Reformatores Libros S. S. non tantum adhibuerunt tanquam suae doctrinae fundamentum, sed normam etiam, ad quam omnem suam agendi rationem omniaque sua instituta exigerent.

Sci-

Scilicet illud imprimis egerunt Zuinglius eiusque amici, ut, qui antea vix ac ne vix quidem alicubi reperiebatur, S. Codex in lucem protraheretur, inque omnium manibus versaretur. Ad illum in omni sua institutione continuo recurrerunt; ab illo uno sua petierunt, quibus errores oppugnarent, et verum docerent; illius ope in hominum animos vim et efficacitatem exseruerunt; ad illum vitam esse emendandam regendamque monuerunt. Quae autem ille inculcat Antistitibus praecepta, sedulo ipsi obsequi conati sunt, imprimis Christi Apostolorumque exemplum ob oculos habuerunt. In scriptis etiam suis summam S. Codicis effatis attribuerunt auctoritatem. Quocirca temere nonnulli affirmare solent, Zuinglium Rationi maximam in Religione vim concessisse, atque ita eius nomine abutentes, omnia e Religione reiicienda putant, quae Ratione comprehendi nequeant. Pontificis quidem et Conciliorum decretis omnem in interpretando denegavit auctoritatem, at ratione opus esse ac iudicio humano docuit, prudenter scilicet ac moderate instituto, et cum veri amore Deique reverentia iuncto (1). Quodcunque igitur in Religione non sancitum fuit ipsis divinis effatis, sed humani quid saperet, reprobarunt et ex Ecclesia Christiana removenda putarunt Reformatores; quocirca unicum illud retinuerunt, quod ipse Christus eiusque Apostoli constituerant doctrinae fundamentum.

(1) Conf. supra p. 116, 118, alibi.

§ VI.

§ VI.

Non seditiose, sed sapienti admodum consilio in opere perficiendo versati sunt, ad rationem Apostolicae Ecclesiae suam accommodantes.

Zuinglius caeterique Reformatores Helvetici ne Icario essent fato similes, cuncta rite prospicere, lenteque progredi debebant. Si quis vero attenderit ad universam eorum agendi rationem, facile intelliget, eos feliciter ipsum Religionis auctorem fuisse imitatos. Non inceperunt ab oppugnanda Hierarchia; et recte quidem. Hoc enim si fecissent, timendum fuisset, ne Helvetii, ardentissimo libertatis studio ducti, vi ac furore omnia sursum deorsum vertissent. Sed persuadendo maxime consilium assequi studuerunt. Quoties iis pro concione dicendum erat, libere illa proposuerunt Romanae Ecclesiae placita, quae, ad S. Cod. exacta, vera iis viderentur, caeteris vel plane omissis, vel digito tantum tactis. Imprimis autem in moribus emendandis omnem curam posuerunt, ut ita loco removerent, quod caeteris peragendis maximum inferret impedimentum. Interea cum vidissent, homines maiorum sensim fieri capaces, de caeteris etiam dubitationem iis iniecerunt, eosque ad S. Cod. effata adduxerunt. Porro, quod de Zuinglio, Myconio, Vadiano constat, iuvenes maxime nobiles imbuere conati sunt sensu veri, pulcri, bonique, qui deinceps magno ubique essent rebus Christianis emolumento. Postquam vero superioris ordinis clericos frustra tentaverant, Deo magis, quam hominibus, obediendum esse sibi duxerunt. Itaque palam sese Romanae Ecclesiae erroribus opposuerunt. Deinde

ex-

excitare conati ſunt Helvetios, ut Pontificis tandem, in eos tyrannidem affectantis, iugum excuterent, et, ne proavorum degeneres esſent, variis argumentis monuerunt. Legenda praeterea ingenue commendarunt Lutheri, Caroloſtadii, aliorumque ſcripta, ut nimirum animadverterent, omnes Reformatores, licet unusquisque ſua ipſe e S. Cod. hauſisſet et propria procesſisſet ratione, in praecipuis tamen mire conſentire. Quum vero hic illic iam multi e plebe rem agitare incepisſent, ne quid tumultuarii accideret, tum etiam ſi qui esſent, qui antiquae rerum conditionis defenſores agere vellent, ut ſententiam libere proferendi haberent opportunitatem, Zuinglius aliique a Magistratu publicas disputationes inſtituendi facultatem impetrarunt. Quibus feliciter peractis, nihil amplius obſtare videbatur, quominus rerum existeret commutatio: at vel ſic tamen tum lente etiam procesſerunt, nihil quidquam agentes ſine auſpicio Magistratus.

Societatem vero nuper conditam non ſibi reliquerunt Reformatores, ſed legibus etiam et inſtitutis bene ſtabilierunt, de quibus mox plura monebimus. Necesſariam doctrinae copiam, imprimis integros mores in iis quaeſiverunt. Coetus conſtituerunt et curam eorum gesſerunt, aliisque concesſerunt. Varia rerum inſtituta eo valuerunt, ut ordo et tranquillitas in Eccleſia conſervarentur, ut aegrotorum pauperumque cura haberetur; verbo: ut primitivae Eccleſiae Christianae morem referrent.

Quae omnia ſi perpendamus, non posſumus non ſummam Reformatorum prudentiam et ſapientiam agnoscere atque admirari.

§ VII.

§ VII.

Retulit cum ipsa emendandi ratio, tum emendata ab iis Societas, Helvetiae Germanicae indolem.

Est haecce hominum consueta ratio, ut Religionis et societatis formam ad suam sentiendi agendique normam componant. Hinc varia fuit ipsius Reformationis in variis regionibus via ac ratio. Neque mirum adeo hanc Zuinglii Reformationem prorsus retulisse Helvetiae Germanicae indolem; quod e supra dictis facile evincitur (P. II.), maxime cum in illa arcte coniuncta fuit causa civilis et ecclesiastica.

Exstitit Zuinglii Reformatio in Helvetia Germanica, quae Rempublicam constituebat, et gente incolebatur libertatis acerrimo studio conspicua. Quo factum, ut ipsa illa cum libertatis, tum Reipublicae ratio in ea dominaretur. Uti in Monarchia a Principis sive voluntate, sive politicis studiis plurima pendent, ita in Rebuspublicis cuncta fere a populo, ipsiusque delegatis administrari solent, et in populi conventu sive Senatu decerni. Quae uti in politica Helvetiae conditione, hac quidem aetate, occurrunt, ita eadem illa in Reformatione instituenda nobis sese offerunt. Exempla praebet ipsa Reformationis Tigurinae historia. Ibi enim publica auctoritate, et quidem Senatus Consulto omnia constituebantur. Uti enim in Germania in comitiis Lutheri causa agebatur, ita illic saepissime Caroli V. auctoritas valuit ad diiudicandam Reformationis causam; cuius cum politica studia vicissim vel faverent vel nocerent Reformationi, hinc anceps et dubia diutius exstitit eius in Germania conditio. Contra vero in Helvetia, quae a plebe maxime

pro-

processerat, Reformatio nequaquam tumultuaria ratione fuit inducta, sed vero SCto. Petiit eam populus; varios Ecclesiae Romanae errores digito monstrarunt nonnulli, et sanam Christi doctrinam docuerunt Zuinglius, Oecolampadius, caeteri. Iam sua vota palam fecerunt cives, et vero animis hic illic agilitate excitatis, temere et inconsiderate in sanctorum incurrerunt imagines. Quod civium desiderium ubi cognoverat Magistratus, primum quidem Antistitibus iniunxit, ut plebem de doctrina S. Cod. rectius etiam instituerent; deinde vero sua de rebus emendandis decreta tulit. Ipsae autem illae disputationes e gentis indole et Reipublicae ratione sunt repetendae. Deliberationem instituit Magistratus, qua decrevit Senatus, S. Codicem unicum habendum esse doctrinae Christianae fontem, *Missam* esse abrogandam, aliaque constituit, quae ad Reformationem valerent. Quae quidem ita a Senatu constituta, mirum nobis accidant, nisi Reipublicae rationem habeamus. Quibus omnibus deprehendimus, Sacrorum illam in Helvetia Emendationem non quorundam tantum civium causam fuisse, sed causam adeo exstitisse publicam, id est, cum ipsa Republica coniunctissimam. Ne itaque sint, qui Tigurinae civitatis Moderatores iniuriosos fuisse dicant in eos, qui Pontifici Romano sese addictos praestiterunt, quosque adeo ipsa in urbe occasione destituerunt, Deum Christumque ad suam rationem colendi: nec vero minus iniuriosos fuisse clament in Anabaptistas, quorum nonnullos violentae morti tradiderunt. Primum quidem omnes, toti civitati sese opponentes, iure suo impedierunt Proceres, quominus in Tigurina urbe, publicum cultum sacrum exercerent. Quod vero ad Anabaptistas attinet,

net, hi ipſum Reipublicae fundamentum prorſus ſubvertere videbantur: quidni hos capite damnarent?

Cernitur autem eadem Helvetiorum indoles in ipſa emendata Societate. Ut plurimum ſuam de ſocietate eccleſiaſtica rationem ad rationem ſocietatis civilis informarunt Christiani. Uti vero in Eccleſia Pontificia omnia compoſita ſunt ad Monarchiam, ita ad Rempublicam in Protestantismo. Quam in rem varia regionum conditio magnam vim habere ſolet. Quapropter qui in Monarchiis et Regnis exſtitit Protestantismus ariſtocraticam imprimis vel oligarchicam retulit rationem; qui in Rebuspublicis imprimis democraticam. Ita illa hic illic in Germania, haec in Helvetia occurrit. Quatenus quidem Eccleſiam ipſam conſtituit Zuinglius, Rempublicam condidit Christianam. In Synodis enim illis, in Eccleſiae Antistitibus ſive Presbyteris, in univerſa ſocietatis forma et disciplina eundem conſpicimus libertatis ſenſum, qui in Rebuspublicis dominari ſolet. E vinculo quod inter Eccleſiam et civitatem intercedebat, mutua quaedam exſtiterunt officia. Et Magistratus quidem Eccleſiae opem ferre debebat, quando huic res esſet cum istiusmodi hominibus, qui peccatis prorſus ſe dederant, et callum obduxerant animis. Deinde Magistratui quoque competebat *ius circa Sacra*, ita ut de caerimoniis vel abrogandis, vel commutandis, vel conſtituendis, tum etiam de rerum ordine conſervando, deque id genus aliis decreta ferret. Neque tamen pro lubitu eidem in hisce licebat verſari, niſi Eccleſiam haberet conſentientem. Eccleſia contra Magistratui obedire debebat, quoad iustum esſet et aequum; negare vero ſua officia, quando ille vim inferre conaretur hominum animis.

Haec

Haec vero Respublica Ecclesiastica non adeo Latinam, sed liberaliorem Germaniae rationem prodidit, verbo: Helvetiae Germanicae indolem. Prohibuerunt enim illi, quominus nova in Ecclesiam induceretur Hierarchia. Omne inter ipsos Sacrorum Ministros sustulerunt discrimen. A quovis coetu hi liberis suffragiis legitime erant eligendi. Nulla iis concedebatur in laicos potestas, nulla vis in res civiles; quae omnia democraticam rationem spirant.

Quae igitur in Helvetia exstitit rerum commutatio peculiarem induit formam, ex ipsa gentis conditione explicandam, qualis non adeo observatur sive in illa Germanica, sive in illa Anglica.

§ VIII.

Exstitit ita Societas Reformata, quae Religionem πνευματικὴν profiteretur.

Quo magis Zuinglius, eiusque amici ad primitivae Ecclesiae formam et rationem reverti studerent, eo magis talem condere societatem sibi proposuerunt, quae Religionem πνευματικὴν profiteretur. Quod sane in indole illius Reformationis exponenda non ultimo loco censendum est, imprimis cum his potissimum notionibus ab indole caeterarum Reformationum distincta fuerit.

„ Regnum meum non est ex hocce mundo." — „ Quisquis est ex veritate, vocem meam audit." (*Ioh.* 18: 36, 37). — „ Deus est Spiritus, quique eum adorant, oportet ut Spiritu ac veritate adorent." (*Ioh.* 4: 24). — Christus „ dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, et purificaret sibi ipse populum peculiarem, incensum studio

 bo-

bonorum operum." (*Tit.* 2: 14). — „Christus dilexit ecclesiam, et semet ipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquae per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut sit sancta et inculpata" (*Ephes.* 5: 25-27). Huiusmodi S. Codicis effata nobis veram ideam aperiunt societatis, quam Christus sibi condere voluit. Idem autem illud conspicuum est in indole societatis, quam condere studuit **Zuinglius**.

Remota quacumque Christi in hisce terris Vicarii auctoritate in Christianorum animos, Christus solus Rex habetur Ecclesiae, caput, cuius membra omnes sunt, qui pie ei fidem habent. Ab eo omnis nostra redundat salus, innumera ille in nos confert beneficia, ei uni competit ius leges ferendi, praemia, poenasque tribuendi; Christiani, quos sanguine suo redemit, amorem, fiduciam, gratum submissumque animum, obedientiam ei praestare debent. Itaque dissoluto hocce Christum inter et Christianos vinculo, omnis pereat Christiana societas, necesse est.

Porro huius societatis cives omne studium in veri cognitione collocent. Absint igitur, quoad per humanam tenuitatem fieri possit, omnes praeiudicatae opiniones, omnes de rebus divinis et humanis errores. Quam in rem Libri Sacri perpetuo sunt perscrutandi, in quibus scilicet Deus voluntatem suam de iis, quae credenda sunt et agenda, cum hominibus communicavit. Quo autem purior est Dei cognitio, eo etiam simplicior cum venerandi colendique ratio. Deo enim, quippe Spiritui, non placent ritus et sacrificia, sed pius animus, e quo non possunt non proficisci quaevis pietatis specimina, ei unice est ac-

cep-

ceptus. Non convenit igitur sacrum cultum caerimoniis ritibusque absolvi, quibus animus ad ea tantum impellitur, quae sensus oblectant. Quocirca ex aedibus sacris etiam amovenda sunt altaria, imagines, musicae quaevis instrumenta, omnisque splendor et pompa, quibus animus ad divina perpendenda minus redditur idoneus, idemque precibus haud ita facile se erigere possit ad Deum, qui Spiritus est omnipraesens et omniscius.

In eo autem vera pietas consistit, quod Christianus homo de animi perversitate sincere doleat, ad Dei per Christum confugiat clementiam et χάριν, ab omni peccato abhorreat, sese emendet omnemque virtutem sectetur, ut ita gratum Deo praestet animum, seque ostendat coniunctum cum Christo, atque aeternae olim felicitatis, a Domino suo procuratae, particeps futurus sit. Nulla vero vitae pars (ut Ciceronis verba in rem meam convertam), neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest. Omnes imprimis, oportet, coniuncti sint cives amore mutuo vere Christiano, quo bene de se invicem sentiant, ac sibi invicem opem ferant; benigni autem se praestent erga omnes omnino homines. Patriam quoque amare debent, eius commodis inservire, eamque tueri ab hostium vi et iniuria.

Hac ratione Christiani se Spiritu S. obsignatos demonstrabunt; ita probatum ibunt, huncce Spiritum Dei Christique in iis habitare ceu in templo suo sancto.

Quamdiu autem huius societatis cives hanc vitam agunt terrestrem, perpetuo iis luctandum erit cum vitiositatis, iis insitae, vi inexpugnabili; at perseve-

rantes in fide ac pietate se praeparatos sistent, ut ad beatorum concilium coetumque transeant, ubi peccati locus nullus erit, ubi omnes summa felicitate et sanctitate gaudebunt, et Christo Deoque Patri suas deferent laudes in aevum sempiternum.

§ IX.

Liberalitate conspicua erat haecce societas.

Cum societatem Christianam, a Zuinglio institutam, *liberalitatis* nomine insignitam esse dico, duplicem huius notionem innuo; altera scilicet haec est, ne cui licitum sit vim inferre civium conscientiae, altera, ut de eorum, qui extra Ecclesiam s. Christianam, s. Reformatam sunt, virtute et aeterna felicitate, quoad eius fieri possit, benigne sentiant Christiani. — Utraque autem notio omnino congruit Religionis Christianae indoli, atque hinc etiam societati, quam, ut conderent, Christus Apostolis suis iniunxit. Nimirum Paulus monuit: „ ut intelligentibus loquor, iudicate vos, quod aio" (1 *Cor.* 10: 15.), quibus consentit Iesus, dicens: „ scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testantur de me" (*Ioh.* 5: 39). Quocirca in laudem Bereënsium hoc relatum legimus: „ iis autem, qui erant Thessalonicae, fuerunt istis generosiores, ut qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie examinantes Scripturas, utrum haec ita se haberent" (*Act.* 17: 11). De altera autem, quam significavi, liberalitatis notione habemus Petrum ita docentem: „ vere deprehendo, Deum non respicere ad personam; sed in quavis gente acceptum ei esse quem-

vis,

vis, qui eum timeat et operam det iustitiae" (*Act.* 10: 34, 35), et Paulum: „ non qui audiunt legem, iusti ſunt apud Deum, ſed qui legem praeſtant, iuſtificabuntur. Nam quum gentes, quae legem non habent, naturâ quae legis ſunt faciant, isti legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex: ut qui ostendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul testimonium reddente ipſorum conſcientia et cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam defendentibus" (*Rom.* 2: 13-15).

Hisce igitur amice conſpirat indoles Reformationis Zuinglianae.

Eccleſiae reformatae hanc primariam esſe legem: *credas quidquid Deus dicat et promittat, at certa perſuaſione inductus, ad quam non pervenire potes, niſi quaenam ſint, quae Deus tecum communicaverit, pio animo examinaveris:* hanc igitur legem primariam esſe adeo unicuique notum est, ut eam indicasſe ſufficiat. Quod cum ita ſit, non tales ſuscepit *formulas* Zuinglius, quae, quid *credendum ſit*, ſtricte et accurate definiant. Quid enim iuvat admonere: *examinetis Libros Sacros*, cum addas, *divinam doctrinam esſe interpretandam ſecundum formulas?* Quid autem hoc aliud est, quam liberum cuiusque iudicium vinculis adſtringere? Rationis ſcilicet ope Libri Sacri intelligendi et interpretandi ſunt, hac tamen cautione, ut haecce ratio certa pro certis habeat, et in his quoque arcana, quae perſpicere ipſa nequeat.

Religionis igitur doctores nullius conſcientiae vim inferre debent, ſed interpretandi S. Codicem, docendi, monendi, adhortandi, dehortandi, conſolandi offi-

fi-

ficio vacare. Ipsi enim bene teneant, homines se esse, errandi periculo expositos.

Et haec quidem de ipsa hacce sodalitate erant observanda. Neque tamen ita anxie de ea statuendum est, ut illi, qui se huic cives adscripserunt, soli Christi discipuli sint habendi, solique aeternae felicitatis participes futuri. Quicunque enim Christo Conservatori fidem habet, ad eiusque praecepta vitam instituere conatur, cui tandem Christianae confessioni sit addictus, is ad veram Ecclesiam pertinet.

Quod ad Ethnicos attinet, hi etiam, quatenus secundum ea, quae de rebus divinis et humanis cognita habuerunt, bene vel male vixerint, propter Christi merita felicitate aeterna fruentur. Ne enim nimis anxie de Dei benignitate et Christo meritis feramus iudicium. Quisquis autem ad veri cognitionem pervenit, is ab ipso Deo instituí dicendus est. „Si ergo vel apud Platonem, vel Pythagoram invenias, quod a divinae mentis fonte promanare odores, non ideo negligendum est, quod mortalis illud monimentis comprehenderit, sed eo magis ad Numinis commercium penetrandum, ut veritatis lucem clarius et clarius intueri liceat, cum eos, qui unius Dei Religionem confiteri non fuerunt ausi, intus tamen habuisse videamus. Quae ubicunque est, a Numine est, etiamsi quis inter beluas habitaret" (1).

(1) Sunt verba Zuinglii, in libro de *Providentia*. Op. T. I. 357. *b*.

§ X.

§ X.

Zuinglii *Reformatio non universae fuit Helvetiae. Quam incepit ille, perfecit* Calvinus.

Accedimus tandem ad illam quaestionem: quatenus Reformationem perduxerit Zuinglius? quomodo illa cohaereat cum Reformatione Calvini, dein in Helvetia meridionali, inque aliis regionibus invalescenti? et quomodo tandem ex utriusque coniunctis viribus exstiterit Sacrorum emendatio Helvetica?

Quae ita in Helvetia prodiit societas non a Zuinglio nomen habet. Ab hoc enim dicendi more, quem induxerant Pontificii, prouti Lutherus, ita etiam Zuinglius quam maxime abhorruit. Ne in eius nomen iurarent, aut eius se discipulos dicerent Christiani, diserte ipse monuit. Neque etiam Ecclesia dici Zuingliana facile potuisset, uti Lutherana, quippe satis diu vixit Lutherus, qui suam conderet societatem; Zuinglius vero ante occubuit, quam Ecclesiam rite stabilitam in orbe informaverat. Coetus quidem constituit variis in locis, nec vero ubicunque illius invaluerat doctrina, ibi eo potuit pervenire, ut sodalitatem conderet, suis fundamentis nixam.

Ita v. c. Genevae Farellus quidem et Viretus ad Zuinglii maxime mentem sacra haud sine fructu emendare conati fuerant; at vero moribus Genevensium corruptis impediti, nondum condiderant societatem, ab Ecclesia Pontificia plane seiunctam et sua forma, suis legibus constitutam. Quid peregisset Zuinglius, si diutius ei vivere licuisset, non moramur. Zuinglii autem mortui vestigiis institerunt alii.

alii. Iam *Catechismum* confecerunt, et dein *Confessionem* professi sunt *Helveticam* (1536). Eodem vero anno praeter singulos illos, qui in variis civitatibus exstiterunt (P. II. c. IV.), prodiit Iohannes Calvinus, alter ille Helvetiae Reformator. Quae enim in nonnullis Helvetiae civitatibus initio conspiciebatur Ecclesia reformata, hanc deinceps ad firmam conditionem adduxit Calvinus, multis nominibus celebrandus. Hic Genevae degens sua ratione processit, accommodata illa ad indolem Helvetiorum Gallicorum. Fundavit itaque in hac regione, inque caeteris, quae eum ducem sequebantur, novam societatem, nonnullis placitis et disciplina ecclesiastica diversam. Hic unus erat, cui locum cesserunt caeteri Theologi Helvetici. Hic item coetus condidit, leges dedit, societatem constituit, suamque propagavit rationem, potissimum ope Doctorum Genevis institutorum. Viguit autem eodem hocce tempore Bullingerus in Helvetia Germanica. Qui, Zuinglii successor, omnem operam navavit, ut suis fundamentis stabiliretur Ecclesia Zuingliana (ita enim hoc loco eam appellare liceat). Idem etiam cum Calvino amicitiam iunxit et una cum eo multum egit de variis argumentis, Religionem spectantibus. Bullingero autem mortuo, Calvinismus sensim sensimque ad Theologos Zuinglianos transiit, et modo maiores, modo minores inter eos partes egit. Tandem vero ita invaluit, ut utraque haecce Ecclesia in unam societatem fere coalesceret, in qua Calvini magis, quam Zuinglii, ratio habebatur.

Haec videbantur breviter monenda, ut ita intelligatur, quodnam utriusque, quae in Helvetia exstitit, Reformationis fuerit vinculum.

Sic

Sic igitur, ut una comprehensione omnia complectamur, Zuinglio auctore Reformatio in Helvetia exorta est et feliciter propagata; incepit Theologus ille Tigurinus, opem ei tulerunt alii, et coetus condiderunt atque ordinaverunt; invaluit deinde Calvini doctrina et auctoritas, qui Ecclesiam constituit rite stabilitam. Ita igitur singulorum horum virorum ope Helvetica processit Reformatio, quae illinc ad alias Europae regiones transiit, quaeque in Belgio nostro feliciter locum tenuit, tenetque etiamnunc.

CON-

CONSPECTUS.

PARS

PARS SECUNDA.

DE ZUINGLIO, HELVETIAE REFORMATORE.

CAPUT PRIMUM.

Zuinglii *vita et indoles.*

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

Zuinglii *Doctrina.*

CAPUT QUARTUM.

§ 2.

PARS TERTIA.

INDOLES SACRORUM EMENDATIONIS A ZUINGLIO INSTITUTAE.

THE-

THESES.

I.

Laudamus Zuinglii sapientiam, liberalitatem et constantiam, quibus sese Christianis Reformatorem commendavit.

II.

Cum Religionis Christianae indole universe congruere videtur simplicior sacri cultus ratio, a Zuinglio instituta.

III.

Recte Zuinglius e rerum contingentia ad Numinis disputare videtur existentiam. (*De Provid.* c. III. Op. T. I. p. 354. sqq.)

IV.

Nec minus recte monuit, Deum non tantum rerum universitatem curare, sed singulas etiam universi partes. (Ibid. p. 377 *b.*)

V.

Valde probamus Zuinglium S. Codicem unicam admittentem fidei normam, reiecta quacunque hominum *auctoritate.* (*De cert. et clarit. Verbi Dei.* Op. T. I. p. 174 *b.*)

VI.

Optime autem inter primaria S. Codicis interpretandi praecepta recensuit contextae orationis et locorum parallelorum collationem. (*De Sacram. responsio.* Op. T. II. p. 387 *a.*)

VII.

Neque vitio vertendum ipsi Zuinglio, quod in placitis Religionis Christianae theoreticis probandis quaedam attulit argumenta, e S. Codice desumta, quibus nullam fere probandi vim inesse docuit sanior interpretandi ratio.

VIII.

Adsentimur Zuinglio docenti, Christum obediendo Deo Patri per omnem vitam, maxime ad finem,

nem usque vitae diris perpesſionibus et ipſa adeo morte homines liberasſe a peccatorum poenis, eo inprimis conſilio, ut ſeſe emendent, et virtuti ſtudeant. (*Explan. Art.* XXII. Op. T. I. p. 60 *b*. cf. *Brevis Pastor. Iſag.* ib. p. 268. ſq.

IX.

Vere Zuinglius: „ verbo Dei," inquit, „ quum auscultant, homines pure et ſynceriter voluntatem Dei discunt. Deinde per Spiritum Dei in Deum trahuntur, et veluti transformantur." (*Opus Artic. art.* XIII. Op. T. I. p. 1.)

X.

Praecepta moralia, praeeunte Zuinglio, optime in tres clasſes posſe distingui ſtatuimus: „ habent primae praeceptiones, quemadmodum ſit animus in his, quae ad Deum attinent, imbuendus. Secundae, quemadmodum in his, quae ad ſe. Tertiae, quemadmodum in his, quae ad alios ſpectant." (In libello: *quo pacto ingenui adolescentes formandi ſint, praeceptiones pauculae.* Op. T. I. p. 278 *b*.)

XI.

Munus Antiſtitis, ſiquidem bene administretur, difficillimum esſe, recte affirmat Zuinglius (*Pastor.* Op. T. I. p. 286 *b*.).

XII.

Recte Zuinglius in fungendo ſacro munere Christi exemplum ob oculos habuit, idemque omnibus Antistitibus commendavit (Ib. p. 285 *b*.)

XIII.

Auditorum commodis et facultatibus prudenter ſe accommodare oportet Oratorem ſacrum; id quod ipſe Zuinglius rite inſtituisſe videtur.

XIV.

Uti in Germania, Luthero auctore, Reformatio exſtitit, ita in Helvetia alia, Zuinglio auctore, quam deinceps ſtabilivit Calvinus; quapropter utriusque in Helveticae Reformationis historia ratio habenda est.



